HOMO
BENE MO-
RIENS.

Eremi
SEU

CHRISTIANI
Insulae ÆGROTI Vigrensis

Ad bonam & felicem
Mortem

DISPOSITIO.

AUTHORE

R. P. CLEMENTE BOLESLA-
VIO. Ordinis Minorum Strictioris Ob-
ſervantiæ Reformatorum. S. T. L.
& Prædicatore.

TYPIS Monaſterii Olivenſis S. O. C.
Imprimebat.
JOANNES JACOBUS TEXTOR Factor.
Anno M. DC. LXXXV.

I. Z.

A. L.



C. G.

R. M.

S.

Crux nitet & calcat Victrix fortissima ferrum,
Demonstrans rectam fulgida ad astra viam.
Sic calcare docet mundum ZAPOLSCIVS Abbas
Atque nitens cœtum ducit ad astra suum,

Perillustri & Reverendissimo
I OMINO

DN. JOANNI
de Roxyce
ZAPOLSKI,

Sacri Ordinis Cisterciensis

DIVINA VOCATIONE
ABBATI LANDENSI,

Per utramque Poloniam, Lithuaniam, Prussiam,

COMMISSARIO
&
VICARIO GENERALI,

Protonotario Apostolico,
J. U. Doctori Romano,
S. R. M. SECRETARIO,
Domino & Benefactori
Colendissimo.

QVidnam vel maximè in hac vita mortali homo in votis habere debeat! Perillustris & Reverendissime Domine, ostendit ille licet gentilis Vates Balaam dum sibi Num. 23. precatur: *Moriatur* (inquit) *anima mea morte justorum & fiant novissima mea horum similia.* Et certè justè optare debet homo mori morte justorum; mors enim hæc est utilissima & salutifera, quæ est duplex. Prima est mors illius hominis de quo S. Paulus 1. Cor. 2. *Animalis* (inquit) *homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei*, sed scilicet carnis, seu est peremptio sensualium oblectationum. Nam *animalitas est vitæ motus, sensibus corporis serviens, cum anima quasi extra*

se

se per sensus corporis dilectorum fruitione pascit vel nutrit sensualitatem suam, inquit Mellifluum S. Bernardi os de vit. solitar. De hac morte S. Ambrosius in Luc. 9. Ubi recensita duplici hominis morte scilicet corporali per sortem naturæ, & spirituali in anima per labem peccati, *Est* inquit *& alia mors, quæ secularium affert interitum voluptatum, in qua non natura, sed delicta moriuntur. Hanc mortem subimus consepulti in Baptismo & mortui cum Christo. Hac morte mori voluit cum prophetaret Balaam ut Deo viveret, & ideo dixit: moriatur anima mea morte justorum.* De hac etiam prima morte justorum dulciloquus S. Bernardus serm. in Cant: *Excedente* ait *animâ etsi non vitâ certè vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit pennas mihi sicut columbæ, &*

volabo & requiescam? Vtinam hac morte ego frequenter cadam & evadam laqueos mortis ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angulos sollicitudinum & molestias curarum. Moriatur anima mea morte justorum, ut nulla jam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors est, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius.

Secunda mors Justorum est: separatio Animæ à Corpore in gratia DEI. *Triplex est mors* inquit Hugo Cardinalis: *Naturæ, Culpæ, & Gratiæ. In prima moritur caro, in secunda anima, in tertia totus homo.* Prima *separat animam à carne, secunda dividit gratiam ab anima, tertia sejungit totum hominem à curis seculi. Prima est omnium, secunda*

malo-

malorum, tertia est bonorum. Mortui prima morte sepeliuntur in mundo, secundi in inferno cum divite epulone, tertii in Cœlo cum Lazaro. De prima dicitur Eccl. 4. O mors quam amara est memoria tua. De secunda; Mors peccatorum pessima. De tertia: Moriatur anima mea morte justorum. Et hac morte mori, ô quam debet optare homo? Videmus homines in mundo toto cordis affectu temporalibus inhiare, atque ad mundi quæque desiderabilia suspirare, ad honores aspirare, terrenaque optare. Verùm rectè S. DEI Psaltes miratur: *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Nam quid prodest homini, si universum mundum lucretur, & justorum morte non moriatur, sed animæ suæ detrimentum patiatur, ac

morte impiorum moriatur. A qua morte, perditionis & continuæ mortis pendet æternitas. Periiſſe ſemel, ærernum eſt. Hoc damnum eſt irreparabile, ſemel mortuus es, ſemper mortuus es, ſemel malè mortuus es, damnatus es; per omnem æternitatem hanc mortem corrigere, hanc damnationem excutere, non poteris.

Equidem in toto vitæ tuæ curriculo Perilluſtris & Reverendiſſime Domine, nemo non videt Te fuiſſe & eſſe mortuum prima morte juſtorum. Qualis enim ſit hominis adoleſcentia? ediſſeris Ambroſiane S. Archipræſul Mediolani lib. de Interpret. Job. cap. 7. *Adoleſcentia* inquit *ſola eſt invalida viribus, infirma conſiliis, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa deliciis.* Quid autem ſit?

Aureum os Hom. 4. in Epiſt. 1. ad Timoth. eam appellat. *Equum indomitum & veluti feram belluam.* Et quid facit ille qui ab adoleſcentia ſua, Chriſti jugo tenerum acclinat & ſubdit collum illudque indeſinenter portat, niſi ſeipſum piæ adjudicat morti, ſeque ipſum perimit? de quo belliſſimè S. Zeno Epiſc. Veronenſis & Martyr. ſer. 7. ad Neoph. poſt Bapt. *O Liberatoris* inquit *noſtri profunda providentia? O damnatio neceſſaria! in ſemetipſo homo jugulatur, ut vivat; percuſſor non videtur, percuſſoris non cernitur gladius, percuſſi non dolet vulnus, non defluit ſangvis, expirantis non palpitat corpus, non decolor color eſt. Ipſe eſt, tamen non eſt ipſe. Vetus quidem videtur domicilium, ſed novus inquilinus. Exultat mutatione morum nativitatis ſuæ nobilitatem virtutibus probaturus.*

 Hanc

Hanc Tibi ſuavem & ſalutiferam, Perilluſtris & Reverendiſſime Domine in adoleſcentia tua adſciviſti mortem, dum ſpretis carnis & mundi illecebris Sacræ Militiæ Chriſti nomen dediſti, atque per annos floridæ juventutis Angelicam duxiſti vitam.

Verùm nec in ætate adulta mori morte juſtorum deſiiſti. S. gentium Doctor Coloſſ. 2. laudat ſuos in Chriſto filios: *Mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi.* Quæ ſint hujus mundi Elementa? innuit Primaſius: *Elementa* (inquit) *hujus mundi poſſunt definiri, Avaritia, ambitio honorum, & cætera mundana.* Sanctus autem Antonius Paduanus enumerat illa notanter. *Terra* (inquit) *eſt Avaritia. Aqua eſt Luxuria. Aer eſt Inconſtantia. Ignis eſt ſuperbia.* Ab his

Ele-

Elementis procul ſemper abes, & mortuus es cum Chriſto Perilluſtris & Reverendiſſime Domine. Alia in Te ſalutifera & glorioſa Virtutum cernuntur Elementa ſcilicet: Juſtitia ante Deum in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela. Temperantia in ſenſibus coërcendis, & affectibus domandis. Prudentia per tot annos in Sacri Ordinis numeroſo exercitu laudabiliſſimè regendo. Fortitudo indefeſſa in Præſulatus Generalis onere portando. Patientia in laboribus ſubeundis. Humilitas in honoribus poſtponendis. Modeſtia in laudibus acceptandis. Manſuetudo in monendo. Lenitas in arguendo. Miſericordia in ſublevando. Charitas in ſubveniendo. Devotio in orando. Exemplaritas ſanctorum operum

in ædificando &c. Propter quas Virtutes: *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ & quaſi luna plena in diebus ſuis, luces. Et quaſi ſol refulgens, ſic Tu refulges in templo Dei. Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ & quaſi flos roſarum in diebus vernis: & quaſi lilia quæ ſunt in tranſitu aquæ & quaſi thus redolens in diebus æſtatis,* Eccl. 30.

Denique in tua Venerabili ſenecta, quis Te non videt mortuum eſſe morte juſtorum? Ille ejuſmodi interit morte, qui mortuus carni, mundo & peccato, ſoli vivit DEO, docente Sanct. gentium Magiſtro: *Exiſtimate vos, mortuos quidem eſſe, viventes autem Deo.* Rom. 6. *Talis mortuus* (inquit Greg. Nyſſenus) *non capitur divitiis, non frangitur deliciis. aliam à mundo vitæ regulam, aliam morum inſtituit normam. Didicit res mun-*

mundanas contemnere, terrena præter-currere, ad cœleſtia feſtinare. Tam ſalutaris mortis indubitatè apparent ſigna in Te Perilluſtris & Reverendiſſime Domine. Tu enim es ille, cui paupertas Religioſa, divitiæ; cui jejunium epulæ; cui maceratio carnis, voluptas; cui caſtitas Angelica, delitiæ; cui demulcens aures muſica devotiſſimus in choro cantus; cui requies, vigiliæ; cui ſomnus media nocte in Eccleſia, una cum Fratrum ſeraphico agmine decantata pſalmodia. Tu es ille, cujus inſtantia quotidiana cum S. Paulo, non terrenorum, ſed omnium Eccleſiaſticarum Tibi commiſſarum ſollicitudo; cujus converſatio in Cœlis; cujus opus cordis ardentiſſima in Deum charitas atque continua Cœleſtium contemplatio; cujus

larga beneficentia in alios indignos Religiosos, præsertim in nostrum Divi Francisci cœtum, singulare animæ solatium; denique cujus vivere Christus, & mori lucrum.

Et de hac morte justorum gloriari & lætari Te oportet in Christo Perillustris & Reverendissime Domine; nam cum Apostolo manes *configuratus morti ejus* Philip. 3. Desiderabilis & nimis gloriosa Christi mors est, eò quod sit hominibus utilissima & salutifera: nam quidquid Ecclesia Christi habet divinæ gratiæ, quidquid sanctitatis, quidquid salutis, totum hoc habet ex morte & laboribus Christi. Et Tu Perillustris & Reverendissime Domine *configuratus es morti ejus*. Nam quid est aliud Sacer tuus Cisterciensis Ordo sarmaticus, cujus Tu supre-

mum

mum geris Præſulem niſi *Hortus ille irriguus* Iſa. 58. Hortus amæniſſimus, florum pulchritudine plenisſimus; cujus amænitate delectatus ipſe plantator Cœleſtis, flores & fructus ejus dulciter alloquitur. Eccl. 39. *Obaudite me divini fructus & quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate. Quaſi Libanus odorem ſuavitatis habete. Florete flores quaſi lilium, & date odorem & frondete in gratiam & collaudate canticum & benedicite Dominum in operibus ſuis. Date Nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum veſtrorum.* Hic igitur Hortus ſacer, ſi quid habet pulchritudinis, ſi quid venuſtatis, ſi quid ſpecioſitatis, ſi quid diſciplinæ Regularis, ſi quid profectùs ſpiritualis, ſi quid graviſſimi de ſanctitate odoris, totum hoc debet morti Tuæ juſtorum

rum vigilantiæ Tuæ, ſollicitudini Tuæ, laboribus & Virtutibus Tuis; quibus venuſtiſſimum ſacri horti Tui florem ſcilicet Perilluſtrem & Reverendiſſimum Nepotem Tuum deſideratum baculum ſenectutis Tuæ Coadiutorem & Succeſſorem Tuum JOANNEM item ZAPOLSKI peperiſti, eumque pulcherrimè florere atque omni Virtutum ſplendore fulgere feciſti. Mortuus es ſine morte in Chriſto *configuratus morti ejus.*

Poſt hanc primam in vita mortem manet Te Perilluſtris & Reverendiſſime Domine altera juſtorum mors, ſcilicet deceſſus in gratia DEI & infallibili ſpe Vitæ æternæ; mors optata, mors felix, ad quam Te ſerviendo fideliſſimè Chriſto præparas & diſponis, ita ut cum S. Hilarione

Abbate trementem alloqui possis animam: *Egredere anima mea, egredere quid times? septuaginta annis servivisti Christo & mori times?* Quam felicitatem mortis, ego Tibi Perillustris & Reverendissime Domine intimè apprecor. Et ut tibi vel in minimo ad bonam & felicem mortem inservire possim, præsento & devoveo Tibi hunc Hominem bene morientem, ad spirituale subsidium & salutare ministerium; quem dum Tua piâ munificentiâ prodire in lucem fecisti, *incrementa frugũ justitiæ* Tuæ copiosè auxisti. Tu hunc Hominem licet exilem inter Tuos connumerare & me singulari Tuo favore ac benevolentiâ prosequi non dedigneris.

Tuæ Perillustris & Reverend. Dominat.

Devotissimus Servus & Exorator

Fr. Clemens Boleslavius

Ordinis Minorum strictioris observ. Reformatorum. S. T. L. & Prædicator.

Facultas Theologica

Nos infra ſcripti de licentia & poteſtate à Reverendiſſimo Patre Miniſtro Generali Superiore noſtro colendiſſimo, & ab Admodum Reverendo Patre Cypriano Rujevio Ordinis Minorum ſtrictioris obſervantiæ Reformatornm Provinciæ Majoris Poloniæ Miniſtro Provinciali Superiore noſtro obſervan. S. T. Lectore nobis commiſſa, accuratè legimus Libellum intitulatum; Homo bene moriens ſeu Chriſtiani ægroti ad bonam & felicem mortem diſpoſitio. à R. P. Clemente Boleſlavio præfatæ Provinciæ S. T. Lectore conſcriptum, publicæ luci edendum. In quo cum nihil inveniatur quod Fidei Catholicæ adverſetur, ſed omnia plena ſpiritu, devotione, & piis affectibus ad felicem & Chriſtianam mortem: ad inſtructionem ſacerdotum ſacramenta ægrotis miniſtrantium; ad augendam in cordibus fidelium circa morituros charitatem ſummè ordinentur, ideo dignũ prelo cenſemus. Datum in Conventu noſtro Poſnan. 27. Auguſti. 1684.

Fr. Joannes Capiſtranus Czekielius Diffinitor actualis Provinciæ Reformatæ Majoris Poloniæ S. T. Lector.

Fr. Franciſcus Rychterſcius, Præſidens Ravicenſis ad S. Antonium Provinciæ hujus S. T. Lector mppa.

Facaltas Ordinis

CUm Librum hunc, cui titulus: *Homo bene moriens &c.* P. Clementis Boleslavii S. T. Lectoris & Prædicatoris, ex mandato Reverendissimi Patris Ministri Generalis Superioris nostri Colendissimi, atque nostra licentia duo Theologi Provinciæ nostræ recognoverint, & in lucem edi posse censuerint; facultate Reverendissimi Patris Generalis jam habita, nos quoque eam præstamus & concedimus, ut typis mandetur, si Ordinariæ Illustrissimi Potestati videbitur. In cujus rei fidem &c. Dat. Calissii 26. Octobr. 1684.

Fr. Cyprianus Rujevius. Provin. Reformatæ Minister Provincialis.

Approbatio Ordinarii

Imprimatur.

Vladislaviæ &c. 7. Septembris 1684.

Balthasar Alexander
Officialis Vladislaviensis Generalis.

CHRISTIANO
MORITURO
salutem.

DEploranda hominis conditio qui ope destitutus, non habet hominem sibi in augustiis subvenientem: hinc ille languidus æger Joh. 6. triginta octo annos habens in infirmitate sua, & jacens Jerosolymis ad probaticam piscinam conquerebatur coram Medico Cœlesti Salvatore nostro: *Hominem non habeo, ut cum fuerit turbata aqua, mittat me in piscinam.* Nec potuit non esse miser ille descendens ab Jerusalem in Jericho, à latronibus spoliatus, vulneratus, semivivus relictus, quem Levithes & Sacerdos pertransierunt & non juverunt donec veniret homo Sama-

Samaritanus misericors, qui ei subvenit, vulnera alligavit, ejusq; omnẽ curam egit. Luc. 10. Et quis potest esse major infirmus, indigens ope hominis, quam peccator in anima vulneratus, gratiâ Dei spoliatus, præsertim in maxima corporis infirmitate, & extremo vitæ termino, ac puncto à quo pendet Judicis justissimi sententia vel clementiæ vel horrendæ justitiæ, salus vel perditio, vita vel mors sine fine, æternitas lætissima vel tristissima; Ubi offensus maximè placandus est Deus, imploranda ejus misericordia, omni arte succurrendum animæ, omni modo procuranda salus æterna. O quantus languidorum numerus, & tam in corpore, quam in anima infirmorum, quorum quilibet querulus dicit: Hominem non habeo, qui

meæ Animæ ſcitè curet vulnera; qui me doceat Deum placare, Miſericordiam ejus invenire, atque faciat bene & feliciter mori. Pie Chriſtiane noli conqueri; & ego tibi exhibeo hominem ad tibi ſubveniendum, te inſtruendum & juvandum quomodo poſſis Deo reconciliari, & bene ac feliciter mori. Præſento hominem bene morientem ſcilicet hunc Libellum, in quo quia ſunt actus, non ſolùm à moribundo eliciendi, ſed etiam, quos Chriſtiane potes ſanus elicere, ut ſunt: Actus circa ſacramentalem confeſſionem & ſanctiſſimam communionem; Actus diverſi ſcilicet: Fidei, Spei, Charitatis, Laudis Divinæ, Gratiarum actionis &c. Teſtamentum ſpirituale, Appellatio á DEO irato, Revolutiones de Chriſto Vivente & Patiente, oblatio Paſſionis

Chriſti

Chriſti pro peccatis &c. Hos actus non expectans extremam infirmitatem, devotiſſimè & frequenter elice: & ſic abſtinens à peccatis, Deum tibi reconciliabis, placabis, te ad bonam & felicem mortem præparabis. Alios autem actus in infirmitate, ſi Patronus ſpiritualis ſcilicet Sacerdos deſit, quantum potes devotè coneris elicere; & ſic bene & feliciter tuam finies vitam. Quod ego tibi ſicut & mihi cordicitus opto.

Vale, & pro me DEUM precare.

CHRISTIANI
MORIBUNDI
Patrono ſpirituali
Salutem.

MUlta & magna poſſunt fieri erga proximum pietatis officia ; ſed hoc eſt maximum charitatis opus : juvare eum moribundum, ſuccurrendo illi in extrema ſua neceſſitate, ac periculo amittendæ ſalutis æternæ ; maximè dum infirmus exiſtit in ſtatu malo ſcilicet peccati mortiferi, à quo tunc eum neq; parentes, neque cognati, neq; maximi amici neque Reges & omnes potentes, neque ipſi Angeli liberare, & Gratiæ Divinæ reſtituere, ac hæredem vitæ æternæ facere poſſunt ;

niſi

nisi tu pie Patrone Sacerdos Christi, cui ille potestatem dimittendi peccata dedit, & te suum in hominis procuranda salute cooperatorem esse voluit. O quam gratum opus Amantissimo hominum Salvatori Domino Jesu navare operam ad salutem homini periclitanti, animam agenti. O quam magna merces dabitur pro hoc labore & tantæ Charitatis actu. Patet hoc ex verbis ipsius Dulcissimi Salvatoris Lib. 5. cap. 59. Revelat. S. Birgittæ, ubi optimus animarum Pastor zelosè, & amarosè sacerdotes alloquitur: *Boni* (inquit) *Christiani currite mecum ad oves quæ adhuc habent Spiritum & erigamus eas, & refoveamus. Compatimini mihi, quia multum carè emi oves meas. Recipe mecum, & ego tecum. Tu in dorsum & ego in Caput. Gaudenter duco eas inter manus meas.*

Ego portavi eas semel omnes in dorso meo quando erat totum sauciatum & stipiti, affixum. Propterea amici mei non parcatis laborare pro me, qui talia sustinui ex charitate propter vos. Laborate viriliter & ferte ovibus indigentibus auxilium. Ego juro in Humanitate mea: quod quicunque laboraverint & portaverint oves meas mecum, occurram eis in media via ad succurrendum: & dabo eis stipendium pretiosissimum, id est meipsum in gaudium sempiternum. Hæc suo ore Divinissimo Christus Dominus. Igitur Sacerdos Dei coadjutor Christi, non te pigeat collaborare Christo circa salvandas animas præsertim in infirmitate & agone cujusque. Vocatus ad infirmum, vel Curatus sciens de infirmitate alicujus hominis tuæ curæ subjecti, sine mora festinus ad infirmum accede; visita non sicut

amicus ſolùm temporaliter conſolaturus & valetudinem promiſſurus, ſed animæ & ſaluti ejus æternæ conſulturus.

Et quoniam rari ſunt, qui preſſi infirmitate corporis, de Animæ valetudine, de morte, de judicio futuro, & ſalute æterna cogitent, ac ſerio agant; ſed infirmi præſertim divites & inſignes ſoleant nova, curioſa, nugatoria audire; de Deo non cogitare, media ſalutis non curare, morbo ſolum curando incumbere, valetudinem & vitam longiorem ſibi infallibiliter promittere; & ſic de pænitentia facienda, Deo reconciliando, Sacram .ntis ſuſcipiendis: cras, cras corviſare. Mors interim inſperata ex improviſo adeſt, omnia abrumpit, præcludit, nec jam de ſalute æterna agere permittit. Idcirco ta-

libus dicendum eſt. 1mò. Non eſſe agendum quaſi jocando in negotio ſalutis, ſed cum timore & tremore eam eſſe operandum. 2do. Non eſſe fidendum ſuæ evanidæ & fallaci vitæ; ſicut enim nihil certius morte, ita nihil incertius hora mortis. 3tio. Judicem ad januam ſtare, qui per ægritudinis moleſtias pulſat, & mortem vicinam deſignat. 4to. Porro unum eſſe neceſſarium inter omnia: ut ſcilicet anima non pereat, ſed ſalvetur; quâ pereunte in æternum omne bonum æternum perit, & omne malum ſempiternum hominem expectat. 5to. Nunc dum vivimus eſſe tempus acceptabile, eſſe dies ſalutis, eſſe tempus pænitentiæ, eſſe tempus placandi, & reconciliandi Judicis irati Dei; eſſe tempus meſſis & mercaturæ, pro gratia Dei, & Gloria

Cœlesti acquirendis. 6to. Non esse abjiciendam Dei manum, quam homini præsertim infirmo porrigit, sed apprehendendam, ne dicat: Vocavi, & renuisti, extendi manum meam ad te & noluisti: idcirco in interitu tuo ridebo. 7mo. Non esse spernendum Medicum sibi à Deo pro curanda anima missum; ne Deus iratus subtrahat omnem modum salutis acquirendæ.

Inducto igitur infirmo ad compunctionem & devotionem & volente ipso accedere ad capienda media salutis scilicet ad faciendam Confessionem Sacramentalem, & ad suscipienda Sacramenta Eucharistiæ & extremæ Unctionis, disponatur lentè, tamen festinè, ad Christianam bonam & felicem mortem, per Actiones infra positas sub specie

ſervi rei, ſeſe variis piis modis Domino ſuo juſtificantis, & gratiam obtinere ninentis. Quæ Actiones coram infirmo exactè legantur; ipſo infirmo Actus hos, vel ore, vel ſaltem corde cum ſuo Patrono ſeu didiſpoſitore devotè dicente. Licet autem Actiones iſtæ pro tempeſtiva & lenta diſpoſitione, ac vividitate infirmi prolixius formatæ ſint; tamen deficiente valde infirmo, & morte accelerante, poſſunt plus vel minus, & compendioſè cum infirmis dici; aliquæ omitti, & ſolum quæ ſunt omnino neceſſariæ ægroto ad eliciendum inculcari. Quales ſunt: Actus doloris de peccatis, propoſiti amplius non peccandi etiamſi infirmus convalaſceret, Fidei, Spei, Charitatis, Oblationis pro negligentiis; Actus de Paſſione Chriſti, Invoca-

tio-

tionesBeatisſimæ Virginis, SS. Angelorum. S. Patronorum, Remiſſio injuriarnm inimicis. Aſpirationes ad Chriſtum, Commendatio animæ in manus Chriſti. Prout tempus & diſpoſitio infirmi permiſerit; & prudentia; atque ſedula dexteritas tua pie Patrone judicaverit. Vale & utere, pro labore in præmium, Chriſtum recepturus; pro meque Deum exora.

OBSERVANDA
QVÆDAM.

A pio Patrono Patre ſpirituali circa infirmum moribundum.

Tria debet præſtare pius Patronus infirmo moribundo.

1mo. Obſequium fideliſſimum, non ex ratione intenti lucri temporalis, vel alicius intentionis vanæ, ſed ex ſolo amore Dei & ex viſceroſa chriſtianæ ſalutis æternæ moribundi.

2do. Compassionem, scilicet significationem doloris, propter morbos & dolores infirmi,

3tio. Consolationem spiritualem loquendo tum de immensa Bonitate Dei, & Misericordia ejus inexhausta erga peccatores, eaque plurimis & maximis peccatoribus ab eo ostensa & exhibita; tum de Dei amore erga hominem, tanquam Patris erga filium; tum de ejus desiderio indicibili salutis nostræ; tum de finiendis nostris morbis & doloribus quos Deus immittit tanquam sagenam ad capiendum atque trahendum ad se hominem, & per eos punit hîc leviter eundem propter ejus peccata, ne eum post mortem puniat severissimè, sive temporaliter in purgatorio, sive in æternum in inferno. Loquendo quoque & quidem præcipuè de acerbissima Passione & Morte Salvatoris nostri Iesu Christi; nec non de multis & maximis tribulationibus

nibus Sanctorum, & omnium justorum, quas passi sunt libenter, ut ad Cœlestia pervenirent gaudia. &c. &c.

Vt igitur pius Patronus præstet obsequium debitum moribundo in causa salutis animæ, observet aliqua ad hæc necessaria.

1mo. Statim à principio ostendat se infirmo benignum, humanum, suavem & affabilem tanquam amicum in extrema necessitate fidelissimum, paratum sibi obsequium in negotio salutis præstare, ut infirmus ad eum concipiat affectum & confidentiam.

2do. Moneat infirmum, quatenus non expectet donec ingravescat morbus, sed quantocius curam agat salutis suæ; Confessionem Sacramentalem faciat, Eucharistiam Sacro Sanctam suscipiat.

3tio. Hortetur infirmum, ut si facienda sit restitutio, famæ, pecuniæ, vel aliarum rerum, tum mobilium quam immobilium;

item si facienda sit solutio debitorum, vel servitii famulorum, ipse eam ante mortem faciat, si-et inquantum potest; & non committat sive conjugi, sive filiis, sive executoribus.

4to. Ingravescente morbo dicat infirmo ut tempestivè disponat domui suæ in rebus temporalibus quoad Conjugem, liberos, consanguineos, sepulturam Christianam modestam, ordinando legata pia pro honore Dei, & salute animæ suæ in pio & legitimo testamento.

5to. Curret serio & diligenter, ut infirmus antequam sensibus destituatur, vel in delirium incidat extremæ unctionis Sacramento muniatur.

6to. Moneat ægrotum, & omnes ærumnas, morbos & dolores, æquanimiter & patienter Ferat, nihil ex impatientia dicat aut faciat, ne meritum patientiæ perdat; sed potius libenter omnes dolores,

cum

cum gratiarum actione à Deo tanquam Patre, flagellum paternum excipiat, pro culparum præteritarum satisfactione, & majori merito, atque in Cœlis præmio.

7mo. Collocari curet effigiem Christi Domini Crucifixi, imagines quoque Beatissimæ Virginis, S. Angeli Custodis, S. Patroni specialis ante oculos infirmi decumbentis, ad quas ille oculos convertat: moneatq; ægrotum, ut Jesum Crucifixum Beatissimam ejus Marcem, S. Michaëlem Archangelum, S. Angelum Custodem, aliosq; Sanctos suos Patronos devotè in auxilium invocet, ut eorum meritis & suffragiis adjuvetur.

8vo. Non permittat, ut coram infirmo, graviter jam laboronte, & morti appropinquante, visitantes Vicini, Amici Consanguinei, affines, de rebus & negotiis mundialibus tractent; multo minùs jocosa & nugatoria loquantur.

9no Infirmo angonisante & sibi adhuc præsente curet removere àConspectu ejus ea quæ bonam ejus præparationem ad mortem felicem impedire possent, ut esse solent, Uxor Liberi, qui humanos affectus provocare, & moribundum turbare & distrahere solent. Nisi fortè moribundus sit in se

bene compositus, volens benedicere liberis; vel illi spiritualiter moribundum crederentur juvare.

10mo. *Agonisantem sæpius aquâ benedicta aspergat; Cereum accensum ei in unam manum, in alteram effigiem Christi Crucifixi ad tenendum tradat, vel cum agonisante teneat,*

11mo. *Deficiente infirmo, non faciat longas, clamosas, & vehementes exhortationes; quia his obruitur, & nimis molestatur æger; sed breves, pias, aspirationes & invocationes eidem placidè, articulatè, tractim per intervalla ad eliciendum saltem internè, innuere non omittat.*

S. Augustinus.

in sentent. Tom. 3.

NUllus in Deo locus est, nec est, quo fugiatur ab ipso, nisi ad ipsum. Qui vult evadere offensum, fugiat ad placatum. sent. 235.

Remedia conversionis ad Deum nullis cunctationibus sunt differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim pœnitenti promisit indulgentiam, dissimulanti diem crastinum non spopondit. sent. 71.

Præveniendus est dies qui prævenire consuevit.

Idem ser. 120. de Tempore.

CHRISTIANI
MORIBUNDI
Coram Domino noſtro
JESU CHRISTO.

ACTIO I.

Aeger gemit coram Domino, in ærumna Morbi & dolorum.

AFflicti corporaliter, ſcilicet valde infirmi, captivi, duriter carcerati ſtrictè ligati, vinculati, ſolent flebiliter gemere, & lugubrem edere vocem in auribus aliorum, per quam eos vel ad commiſerationem & ſolamen, vel ad aliquod juvamen, vel ad eliberationem ab ærumna quam

quam patiuntur excitant & movent. Et si in hoc passu inveniuntur homines misericordes, qui afflictis & ærumnosis ex corde compatiuntur, eos solantur & juvant; multo magis id præstat misericordissimus DEus, & amabilissimus JESUS Salvator noster de quo Matth. 9. dicitur: *Et circuibat JESUS omnes Civitates & Castella docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Videns autem turbas, misertus est eis; quia erant vexati, & jacentes sunt oves non habentes pastorem. Et videns turbam præ inedia deficientem dicit: Matth. 13. *Misereor super turbam, quia triduo jam perseverant mecum & non habent quod manducent.* Et videns viduam afflictam prosequentem funus filii sui ac amarè flentem dixit illi: *Noli flere*: resuscitansque filium, dedit illum matri suæ; Igitur infirmus gravatus morbo, pressus doloribus angustiatus, afflictus, non negligat coram Misericordissimo Domino Jesu, flebiliter gemere, ipsi suam miseriam & afflictio-

nem

nem exponere, ac eundem tanquam dulcissimum solatorem invocare ore vel saltem corde dicendo:

Genitivus servi infirmi coram Domino.

Eheu dulcissime Creator, piissime Redemptor meus, Pater misericordiarum, & DEus totius Consolationis, in quantam tribulationem deveni & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui jucundus eram & dilectus in sanitate mea. Dies mei sicut umbra declinaverunt & ego sicut fænum arvi. Ivit quâ cæpit ætas, nec cursum suum revocavit aut detinuit; tacita lapsa est & fluxit, nec admonuit velocitatis suæ: ego autem appropinquavi usque ad portas mortis.

Miser factus sum, & curvatus sum usque infinem Psal. 37. Tribulatio & angustia invenerunt me. Venij in altitudinem maris miseriarum mearum & tempestas infirmitatum & dolorum demersit me. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. Tribulationem & dolorem inveni.

Vide

Vide Domine quoniam tribulor; Conturbatus eſt venter meus: Thren. 1. Deficit cor meum in memetipſo, quoniam amaritudine plenus ſum. Dolens doleo in nocte & die. Non eſt qui conſoletur me ex omnibus charis meis; & longè factus à me conſolator. Pſal. 6. Miſerere igitur mei Domine, quoniam infirmus ſum: Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Sana me Domine & ſanabor ſi eſt voluntas tua. Tu es DEus refugium meum & virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt me nimis. Tu eſt refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exaltatio mea erue me ab ærumnis circumdantibus me.

Domine ecce quem amas à te creatum & tuo ſanguine redemptum, infirmatur. Ego ſum homo qui deſcendens ab Hiericho incidi in morbos & dolores; & ſemivivus jaceo: Verùm miſericordisſime Samaritane, dulcisſime JESU, alliga vulnera dolorum meorum infundens oleum & vinum miſerationis & conſolationis tuæ.

Inte-

Interim in mea infirmitate rogo benignissime JEsu, repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam, quoniam firmamentum & refugium meum es tu. Tu es patientia mea Domine, Domine spes mea, à juventute mea. Tibi laus & gloria. Amen.

ACTIO II.

Aeger dedit se in manus Domini Dei, & acceptat libenter morbos & dolores.

Homines rei dũ captivantur, alii se pervicaciter defendere & resistere volunt: alii fugere & evadere conantur; & sic potestatem ac dominos suos magis contra se irritant atq; offendunt. Alii prudensiores melius faciunt, qui cernentes se in arcto positos, & se evadere non posse, ultro seipsos potestati & dominis tanquam pœnâ dignos tradunt; & sic ipsos per hoc emolliunt, & non lenum, placant. Sic Fridericus Dux Saxoniæ ac Protector Luther-

r-ano

ranorũ victus] ac superatus prælio à Carolo V. Imperatore captivus ultro se ei dedidit: Quando quidem (inquit) ita fortuna tulit, ecce me tibi Clementissime & Potentissime Cæsar captivum sisto, rogans ut me pro loci, quo natus sum dignitate tractes. Sic & Jonas Propheta videns se fugitivum captivari à DEO, non resistit, sed se in mare mitti imperavit: Unde salvus evasit, DEO per sui deditionem placato. Sic & infirmus doloribus & angustiis pressus non resistere, scilicet: non murmurare, non maledicere debet; sed se quasi captivum Domino DEO ultra tradere: morbum & omnes angustias ab ipso libenter acceptare; nam hòc DEO placet & eundem infirmo placat. Quocirca servus captivus, scilicet homo infirmus coram Deo dicat:

Acceptatio morbi & dolorum.

Scio & certus sum ô sapientia infinita, misericordissime DEus, quod vita nostra non temerariis motibus agatur; sed à te

Domino

Domino DEO noſtro diſponatur & gubernetur. Unde tibi cura eſt de omnibus creatis præcipuè de ſervis tuis bonis, qui tibi fideliter & diligenter ſerviunt; nec non advertentia de ſervis tuis deſidioſis & malis, quorum ego ſum primus. Quocirca anguſtiæ meæ & dolores quos patior, non caſu acciderunt mihi; ſed manus tua Domine DEus meus tetigit me & apprehendit me ſervum reum, noxium, & tuum maximum debitorem: & ſic me tradidiſti tortoribus, ſcilicet morbis & doloribus, donec omnia tibi redderem & ſatisfacerem. Ego autem tuæ me Divinæ poteſtati libentisſimè trado ac ſanctisſimæ voluntati plenisſimè reſigno, Pſalm 56. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, ad ſuſtinenda omnia adverſa, quæ mihi intuleris & ſunt placita tuæ Majeſtati, Job. 6. *Et tu qui cæpiſti, ipſe me conteras: ſolvas manum tuam & ſuccidas me. Et hæc mihi ſit conſolatio ut affligens me dolore non parcas, & ego non contradicam ſermonibus ſancti*, Mich. 7. *Iram tuam Domine portabo, quoniam peccavi tibi:*

bi; donec causam meam judices & facias judicium meum: educes me in lucem & videbo justitiam tuam, Tob 3. *Justus es Domine & omnia judicia tua justa sunt: & mihi jucunda.* Auge igitur dolores, multiplica cruciatus. *Benedictus sis qui me affligi & tribulari permittis: per tribulationes enim cognoscis quia tuus sum. Ideo infirmari & tribulari me permittis in præsenti, ut in futuro non punias. Hîc ergo ure hîc seca, modo in æternum parcas; & nunc tribue patientiam & sustinendi fortitudinem, Amen.*

ACTIO III.

Aeger. Agnoscit se maximè reum & damnabilem.

CRimina sua prodere & fateri coram judice homine est valde probrosum & noxium; cùm ob id sequatur confusio, pudor, pœna mortis vel alterius damni & reatus suos atque peccata humiliter agnoscere & confiteri coram Domino DEO est decorum, valdè utile & salutiferũ, ut dicit S. Thomas à Villanova. *Qui coram judice (inquit) confitetur furcâ suspenditur: qui coram*

ram DEO confitetur, inferni furcâ liberatur. Apud sæculi judicem confessio judicium perficit; apud æternum judicem Confessio judicium tollit. Vix S. peccator David dixit hæc verba: Peccavi Domino; & ſtatim dictum eſt ei. Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum à te. Non morieris. *O si parentes nostri* (ait idem S. Thomas à Villanova) *humiliati fuissent, & confessi peccatum, procul dubio minori & leniori multo poena mulctati fuissent: sed propter impoenitentiam, morte cum sua posteritate damnantur. Ecce quantum obfuit mundo non confiteri peccatum?* Quocirca infirmus tanquam culpis maximis obnoxius, & debitis peccatorum gravatus, ſponte humiliter culpas ſuas agnoſcat, ac peccatorem ſe maximum fateatur coram Deo, monente eodem S. Thoma à Villanova atque dicente: *Miserum te ostende, si vis Misericordiam DEI obtinere; illi enim qui non confitetur offensam, quis unquam præstabit veniam? Pauperes in bivio, ut transeuntium obtineant misericordiam, vulnera sua propalant: & tu fac similiter coram DEO: Confitere te pecca-*

cato-

catorem, & invenies DEum propitiatorem. Igitur infirmus coram DEO dicat:

Agnitio reatuum.

Manus tuæ Domine fecerunt me & plasmaverunt me; factura tua ſum & opus manuum tuarum: & ſic in turbine infirmitatum & anguſtiarum potes me conterere, & multiplicare vulnera mea etiam ſine cauſa; quantò magis, quando in me tam multa & gravia delicta, te ad vindictam provocantia cernis, quæ ego coram te miſericordisſimo Domino confiteor. Peccavi Domine peccavi; iniquitates meas agnoſco. Peccavi ſuper numerum arenæ maris. Multiplicatæ ſunt iniquitates meæ Domine, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ; & non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cæli præ multitudine iniquitatum mearum: quia excitavi iracundiam tuam, & malum coram te feci. Non feci voluntatem tuam & mandata tua non cuſtodivi: feci abominationes, multiplicavi offenſiones: ſecutus ſum pasſiones.

nes carnis. Vanitates attraxi, virtutes deserui, innocentiam non custodivi, mala malis addidi, atque ea cumulavi.

Verè ego peccavi tibi Domino DEO meo auferens ea tibi, quæ tua sunt maximè. Nam abstuli tibi timorem debitum; dum tam securè peccavi, ac si tu non esses tantus Dominus & DEus vivus, injuriam suuam summè potens ulcisci: abstuli reverentiam, dum in conspectu tuo, totiusquè aulæ tuæ cælestis non erubui peccare abstuli amorem dum te summum Bonum, & summè Bonum, totis viribus non amavi, immò floccipendi. Debui te ex creaturis intellectu meo cognoscere summè bonum, summè liberalem, summè sapientem, summè pulchrum omnipotentem jussum est, &c. Et ego quid cogitavi? nonne vana? nonne terrena? nonne sordida? nonne inhonesta? nonne vindictam? nonne injuriam proximi? &c. Debui te linguâ mea laudare; & quid ex ore meo sonuit? nonne verba vana & mundana? nonne mendacia, perjuria, male-

dictio-

dictiones, rixæ, contertiones, calumniæ, contumeliæ, obſcenæ locutiones, probra, edtractiones, blaſphemiæ, &c.? Debui te bonis operibus glorificare, & proximum ædificare; & ego malis actibus meis, nomine tantum Chriſtianus, nomen Chriſti, blaſphemavi, alios ſcandaliſavi. Debui te infinitum bonum ac fontem omnis boni & felicitatis Creatorem amabilisſimum, ex tota anima mea & corde amare; & ego quid amavi? Vilem creaturam, vanitatem, lutum rerum terrenarum, fædas voluptates, fumum gloriæ mundanæ. & peccando magis æſtimavi unam guttam voluptatis peccaminoſæ, quam te DEUM mare infinitum omnium bonorum. Debui te ſemper in memoria habere & ut præſentem mihi, ſpectare, memor beneficiorum tuorum; & ego quid in memoria tenere ſolebam, niſi illa quæ animam & conſcientiam non ſolùm inquietabant, ſed atrocisſimè vulnerabant. Verè iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. Verè à planta pedis utque ad verticem capitis non eſt

eſt in me aliqua potentia non eſt membrum quibus te Deum meum non offenderim.

Heu quoties voluntati Divinæ contradixi? O quoties diaboli voluntatem feci? quoties carnem ad peccandum inflammavi? quoties carni ſordidæ acquievi? quoties deſideria, prava explevi? quoties ſenſibus illicita appetentibus obtemperavi, & per eos mortem in animam tranſire ultro permiſi? Quoties occaſionem ad peccandum non ſolum non vitavi, ſed ipſe quæſivi? Quoties alios ad peccandum induxi? In quo totum vitæ tempus conſumpſi? Nonne in miniſterio exhibito carni, mundo, & diabolo? Tibi autem Domino DEO Creatori & ſummo benefactori meo, non curavi ſervire, atque tuam voluntatem facere. Hæc ſunt demerita mea Domine DEus meus, propter quæ tu juſtè iraſceris, & tradens me tortoribus, ſtrictè me judicare, & poſt mortem ſeverè mecum malis ſervis, & quidem juſtisſimè punire vis. Miſericordisſime Domine

patientiam trahe in me. Concede inducias; da locum pœnitentiæ, quam ipse veram, mihi tribuas, per quam te placare, & tibi secundum posse meum, satisfacere possem & morti amaræ post hanc mortem ne trades me.

ACTIO IV.

Aeger pœnitens Procurat & obtinet syngraphe quietativum Absolutionis à debitis.

Seu

Confitetur peccata sacramentaliter.

QUamvis agnoscere se esse peccatorem & confiteri peccata sua coram DEO sit valdè homini salutiferum; cum sit hoc magnæ humilitatis, flectatquè DEUM ad misericordiam homini præstandam: Nihilominus tamen hoc non sufficit. De lege à Christo lata, debemus ad tribunal Sacramenti pœnitentiæ recurrere; & ibi coram judice à Christo instituto scilicet Sacerdote peccata nostra, & offensas Divinas confiteri

fiteri, ac ſe dolendo de peccatis commiſſis accuſare; atque ab hoc delegato judice ſchedulam quietativam Abſolutionis ratione debitorum noſtrorum, obtinere. De quo Origenes Homil. 2. in Levit. *Eſt adhuc* (inquit) *licet dura & laborioſa per poenitentiam remiſſio peccatorum cum non erubuerit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum* Et Hom. 3. in Levit. *Omni genere* (ait) *pronuntianda ſunt, & in publicum proferenda cuncta quæ egimus, ſi quid in occulto geſſimus, ſi quid in ſermone vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſſimus, cuncta neceſſe eſt proferri.* Quod quam ſit proficuum homini ad ſalutem? idem ſtatim enarrat dum dicit: Si ergo in vita noſtri accuſatores ſimus, juſtitiam DEI effugimus. De quo & S. Paulus 1. Cor. 2. *Quod ſi* (inquit) *nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Et ubinam homo hoc ſui ipſius judicium exercet? nonne in ſacro pœnitentiæ tribunali? Ubi dum ſeipſum accuſat confitendo ſuos reatus plurimum conſulit & proſpicit ſuæ ſalutis cauſæ, faciens juxta doctrinam & præmonitio-

nitionem Christi Judicis, Matth. 5. ubi dicit: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte adversarius tradat te judici, & judex tradat ne ministro, & in carcerem mittaris. Adversarius hic noster* (ait S. Athanasius) *est ipsa conscientia nostra*, hominem propter peccata contra DEum commissa accusans, arguens, mordens, traditura judici ad poenam, nisi peccator cum illa adhuc in via ante judicium scilicet in hac mortali vita consentiat. Consentit autem peccator cum hoc adversario, dum seipsum accusat, & peccata coram judice Christi in seipsum confitetur. Et sic jam non habet adversarium, qui se verè coram Deo accuset. Quia vero homo in hoc eodem salutis judicio seipsum ad poenam condemnat, ac gehennæ & mortis æternæ se esse dignum fatetur, poenamque temporalem sibi assignatam libenter adimplet, atque de solutione debitorum à Sacerdote per sententiam absolutionis quietatur, per hoc judicium DEI, ejusque justitiam effugit, ne ipsum secundo de culpa criminis judicet, & in æternum puniat. Itaq

Itaque æger homo, antequam invalescat morbus, quam citissimè confiteatur peccata sua, & inprimis illa quæ adhuc non est confessus, enarrans omnia gravia & mortifera secundum speciem & numerum, prout ratio & conscientia de numero dictaverit, addendo plùs & minùs si certus omninò numerus nesciatur. Et si possit fieri conscientiaque non fuerit multùm scrupulosa & turbulenta, faciat Confessionem generalem totius vitæ, considerando priùs: Utrum aliquis defectus, scilicet: Omisso, oblivio, malitia in præteritis Confessionibus non contigerit. Et si ita invenerit, debet in Confessione defectum supplere, & errorem corrigere. Quod si DEUS avertat peccatum mortiferum aliquando ex timore noxio & pudore in Confessione reticuerit, non solum peccatum commissum, sed etiam illam reticentiam omninò confiteatur, aperiatque tempus per quod illud peccatum in Confessionibus reticere solebat; explicetquè rationabilior numerum Confessionum simul

cum Sacris Communionibus. Nam talis Confessio non solum fuit nulla, sed sicut Communio, ita & Confessio fuit sacrilega: & quoties cum illa reticentia confitebatur & communicabat, toties horrenda sacrilegia committebat: Peccatum autem cum reticentia in Confessione apertum nullum ipsi fuit dimissum; & sic omnes Confessiones præteritas, & peccata omnia gravia à prima reticentia debet fidelissimè confiteri. Et quia in Confessione sacramentali ista debent intervenire scilicet dolor ex corde de peccatis, Confessio integra peccatorum, propositum firmum amplius non peccandi, & satisfactio, seu pœnæ satisfactoriæ ab judice spirituali impositæ adimpletio, ideo servus volens obtinere syngraphe absolutionis à peccatis, debet hæc omnia præstare. Igitur pœnitens antequam incipiat Confessionem Sacramentalem, humiliet se tanquam reus coram suo Domino quem multis & gravibus peccatis offendit, ac pro illis summopere & ex corde doleat atque dicat.

§. I.

§. I.

Aeger pœnitens dolet ſe aliquando DEum offendiſſe.

EHeu miſericordisſime DEus, piisſime Redemptor meus Domine JEſu: ego enim ſum homo miſerrimus, & peccator maximus. Virtutum decore nudatus debitorum onere gravatus ſordibus delictorum fædatus undequaque vulneribus peccatorum plenus; ſiquidem conſcientia me torquet, ſuperbia inflat, avaritia præmit, luxuria urit, invidia mordet, gula diſtendit, ira perturbat, ambitio pungit, Vana gloria rodit, oculus concupiſcentiâ ardet, Auris detractionis ſtrepitu ſonat, lingua veneno infecta manet, Cor viperis & ſcorpionibus cogitationum fædarum & aliarum illicitarum ſcatet. Et ſic ſanitas in me non eſt, ſed omnis animæ infirmitas cruciatus & dolor. Et hæc mea miſerrima conditio Dulcisſime Deus jubet me coram te gemere; Verum ſuper omnia coram te Piisſimo Patre meo cogunt me cordicitùs ſingultire, & amarisſimè

plorare meæ maximæ in te ingratitudines, & gravissimæ offensæ Bonitatis & Majestatis tuæ.

Heu heu me centies millies sanguineis lacrimis deplorandum peccatorem: ego enim sum ille infelix homo, qui te fontem vivum & indeficientem, Dulcissimum Deum dereliqui & sprevi; & fodi mihi cisternas veteres & dissipatas, non habentes aquas, nisi vanissimæ & turpissimæ delectationis, vel potius diræ amaritudinis; quod feci superbiendo, terrena appetendo, sensibus obediendo, prava desideria sectando, concupiscentiæ fræna laxando. Ego sum vermis ille contemptus qui tuam Deus infinitam dignitatem & Majestatem læsi. Ego sum qui abominanda cogitavi, dixi, feci, contra tuam piisfimam Bonitatem. Ego tuam legem O Rex & Judex supreme conculcavi, jugum servitutis tuæ abjeci, & dixi effrons: *Non serviam.* Ego sum nudus & exulceratus in sterquilino jacens mendicus, quem ex tua Misericordia piissima accepisti, lavi-

laviſti, gratia tua veſtiviſti, in filium adoptaſti, hæredem Regni Cœleſtis feciſti; & ego impiguatus, incraſſatus, dilatatus recalcitravi: te Deum factorem & Patrem meum dereliqui, & recesſi à Te ſalutari meo. Tot beneficiorum maximorum immemor alienavi me à te tam bono Domino, & ſummo Bono, ac propter vilisſimam ac turpisſimum peccati mercedem, tyranno me diabolo in ſervitutem miſerrimam venundavi; excuſſoque Chriſti jugo ſuavisſimo, durisſimum diaboli, elegi & portavi. Ego te Dulcisſimum hoſpitem à me expuli, & diabolum ſpurcisſimum in animam introduxi. Et quidem ſi hoc ſemel feciſſem, quanta tua injuria eſſet? ſed ô quoties peccavi? quoties te ingratitudine ſatiavi? quoties te injuriâ maxima affeci? quoties cor tuum vulneravi? Ergone non centies millies inferno, ejusque maximis pœnis dignus ſum.

Verùm ô Deus piisſime, coram tua Divina Majeſtate proſtratus & nimio rubore ſuffuſus, recordor filii prodigi, ad te

misericordissimum Patrem revertentis, cujus, etiam nomen nec mihi arrogare audeo, propter plurima & gravissima delicta mea. Reminiscor Manassis Regis peccatoris, cum quo altitudinem Cœli propter peccata mea videre non sum dignus, sed tamen cum ipso ad te suspiro. Desperarem, sed non possum, quia tu summe bonus & Misericors es, dissimulans peccata propter pœnitentiam. Non me latet, quia tu Benignissime Jesu Magdalenam flentem pedesque tuos lacrymis lavantem non repulisti, sed recepisti. Zachæum justificasti, Mattheum ad tuam gratiam vocasti, Latroni tecum morienti omnia condonasti, & paradisum intrare dedisti. Prosterno igitur & ego me ad Sacratissimos tuos pedes ô Jesu Dulcissime, flens & ejulans de peccatis meis & offensis tuis. Centies millies immo infinities pœnitet me peccasse. O quis mihi daret singultus & Cordis dolores pro peccatis meis, sanctorum pænitentiam Davidis, Petri, Magdalenæ: O quis dabit cordi

&

& capiti meo fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte injurias à me illatas tibi tam bono Deo Creatori meo? Cupio totus præ dolore in lacrymas dissolvi; & doleo ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, quod te aliquando Piissime Deus, summè bonum, & summum Benefactorem ac Dulcissimum Patrem meum offenderim, te summum Bonum vilipenderim, Creaturam loco tui amaverim, mandata tua non servaverim, tibi toto Vitæ meæ tempore fideliter non servierim, te super omnia toto corde non amaverim; & quod non doleam, sicut deberem dolere, maxime doleo.

Et nunc propter lacrymas tuas, dulcissimæque Matris tuæ in vitâ & in passione propter me effusas misericordissime Jesu, humillime rogo, infunde cordi meo gratiam Spiritus Sancti, intellectumque meum illumina, ut possim reatum conscientiæ meæ perfectè cognoscere, peccata mea plenè confiteri, me humiliter, & simpliciter accusare, & tandem

 per

per tuam piissimam Misericordiam, remissionem & veniam peccatorum meorum obtinere. Amen.

§. II.

Infirmus Pœnitens revidet regestra debitorum suorum, & se de reatibus coram judice salutari accusat.

Hic servus debitor librum & regestra suorum debitorum scilicet conscientiam suam diligenter inspiciat & legat: an in aliquo se debitorem Domino Deo deprehensum inveniat; & hoc judici surrogato scilicet sacerdoti in Confessione Sacramentali fidelissimè aperiat, ad hoc, ut syngraphe quietationis seu Sacramentalis absolutionis ratione debitorum scilicet peccatorum dimissorum ab eo recipiat, eam Judicii supremo post mortem præsentaturus. Itaque se de omnibus præceptis, & inprimis de Divinis accuset si aliqua non servaverit, sed violaverit?

De

De Præcepto primo circa Deum colendum & amandum.

Ratione Fidei Divinæ.

AN ignoret vel non credat Deum existere; & operum tam bonorum quam malorum remuneratorem post morrem futurum?

An idololatriam commiserit, hoc est: cultum Deo debitum, vel ex odio Dei, vel ex affectu aliquid à dæmone obtinendi, eidem dæmoni, vel alicui Creaturæ detulerit?

An ignoret Mysterium sacratissimæ Trinitatis, atque mysterium sacratissimæ Incarnationis. Scilicet: quid in se contineat Christus? id est Divinitatem & Humanitatem.

An discrediderit alicui Articulo S. fidei Catholicæ, vel saltem de eo dubitaverit, sive loquendo sive cogitando?

An apud se habuerit, vel legerit libros Hæreticorum, aliosve Libros ab Ecclesia prohibitos?

An in ſua poſſesſione ſynagogam Hæreticis vel Judæis ædificari conceſſerit; vel Pſeudoreligionem exerceri permiſerit? pejus ſi ſynanogam dotaverit?

An Concionem Hæreticam audiverit, complacendo in doctrina Hæreticorum, eorumque fidem atque devotionem publicam quam exercent, laudaverit?

An ſe auguriis habens illa pro regula ſuarum actionum occupaverit? vel ſomniis fidem indubiam dederit?

An fuerit uſus divinatione, quæ non fit ſine invocatione ſive expreſſa ſive tacita dæmonis, ad cognoſcendas res contingentes, & liberè futuras, aliasque occultas, & naturaliter incognoſcibiles; idque tam per ſe quam per alios?

An Philiſtheos ſeu Cyngaros Polonicè Cyganos de occultis vel futuris contingentibus, eis credendo interrogaverit?

An incluſum in aliqua re dæmonem, vulgo dictum ſpiritum familiarem portaverit vel domi habuerit?

An amuleta, ligaturas, certos characteres,

res, contra vulnera, subitaneam mortem, vel ad conciliandam invisibilitatem, amorem, fortunam portaverit?

An maleficia ad nocendum alteri adhibuerit?

An superstitione usus fuerit? quod fit vel sumendo aliquam potionem; vel aliquid usurpando ad scientiam aliquam subitò acquirendam; vel ex Casu fortuito de futuro eventu conjiciendo; vel dies aliquos habendo faustos, & alios infaustos; vel fœminarum Carminatricum benedictiones & preces ad morbum depellendum adhibendo: vel statuam alicujus sancti in flumen, ut pluat, projiciendo; vel certo festo v.gr. S Joannis certas orationes dicendo; vel in festo S. Matthiæ hæderæ folia, ut sciatur cuinam nubere debeat aquis imponendo &c. &c.

An Laicus existens Missam ut sacerdos celebraverit, vel Confessiones sacramentales non approbatus audierit?

An falsas reliquias venerandas proposuerit? vel imaginem aliquam esse miraculo-

culosam finxerit? vel falsum miraculum propalaverit? Vel fictas Indulgentias publicaverit?

An Deum explorando, ejus aliquam perfectionem tentaverit?

Ratione Spei.

An diffidendo Misericordiæ Divinæ, de remissione peccatorum, vel emendatione vitæ desperaverit?

An præsumendo de Misericordia Divina, non ex tentatione vel fragilitate, sed in spem Misericordiæ Dei peccaverit, pœnitentiam differendo in malo statu perseveraverit?

An spem & beatitudinem suam ultimam posuerit in solis terrenis, non curando Cœlestia?

An sine pænitentia & mediis à DEO institutis se posse Misericordiam Dei, & salutem æternam consequi speraverit?

Ratione Charitatis.

An Deum odio abominationis, aversionis & displicentiæ, eo quod peccata, maxi-

maxime æternaliter puniat, odio inquam habuerit ?

An Deum maledixerit ; vel Contumeliosè contra eum, vel ſanctos ejus aliquid dicendo blasphemaverit ?

An Contra Deum, quaſi non eſſet juſtus & providus, ac juxta necesſitatem hominum aliqua tribuens murmuraverit ?

An Deum ſupra omnia bona creata non appretiaverit, & amaverit ?

De Præcepto Secundo.

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

AN juraverit falſum ſciens eſſe vel dubitans eſſe mendacium, ſive de re gravi, ſive de levi, ſive jeco factum ?

An juraverit facere rem illicitam, cum intentione, vel ſine intentione faciendi ?

An juraverit facere rem licitam, quam poſtea non fecit, vel non habuit intentionem faciendi cum juraret ?

An induxerit alium ad falſò jurandum, vel

vel non ad implendum juramentum in re licita?

An juraverit adjuncta maledictione dicendo v.gr. si non fecero, diabolus me rapiat?

An juraverit minando alicui cum vel sine intentione perficiendi juramentum?

An in judicio interrogatus à judice in materia bonorum temporalium, vel famæ falsò juraverit, vel alios ad falsum juramentum induxerit? Quo casu non solum peccat mortaliter, sed etiam tenetur ad restitutionem, si inde secutum est damnum notabile proximi.

An habuerit consuetudinem jurandi sæpe, non curando, aut non considerando, num verè, vel falso juraret; Et hanc consuetudinem tollere non curaverit?

An fecerit Votum faciendi aliquod bonum, & non curaverit exequi, vel executionem ad longum tempus distulerit?

An voverit aliquid cum intentione non adimplendi votum? An voverit facere aliquid malum vel facere bonum ob malum finem?

De

De 3tio Præcepto.

Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.

AN in diebus feſtivis opera ſervilia & laborioſa exercuerit, vel exercere mandaverit; ſive ex lucro, ſive ex recreatione, ſive cum intentione pia, ſive cum vana & turpi?

An in feſto judicium forenſe fecerit, alios citaverit, teſtes adduxerit, juraverit, ſententiam exequi procuraverit ; Contractus emptionis permutationis iniverit-

An die Dominico, aliisque feſtis diebus miſſam integram non audierit, vel notabilem ejus partem omiſerit? Vel audiendo Miſſam, diu dormierit? vel diſtractus valde ridendo, loquendo, ſeſe inanibus occupando fuerit, ita ut non ſciverit quid ageretur in miſſa quo caſu cenſetur non audiviſſe miſſam.

De 4to Præcepto Dei.

Honora Patrem & Matrem.

AN parentibus ſigna odii oſtenderit, & eos aſperè tractaverit? An torvo ſem-

per

per oculo intuitus fuerit, & ita aſpera locutus fuerit, ac ſi odio haberet?

An parentes egentes noluerit alere; vel eis in gravi neceſſitate, tam Corporali, quam ſpirituali ſubvenire noluerit cum poſſet?

An teſtamenta vel legata Parentum non adimpleverit? An parentibus grave malum v. gr. mortem etiam propter capiendam hæreditatem optaverit?

An eis maledixerit? An etiam vel leviter eos percuſſerit; vel manum ad percutiendum levaverit?

An eos graviter conſtriſtaverit; vel animo deliberato ad iram gravem provocaverit? An eos verbis contumelioſis convitioſis affecerit? An parentes pauperes deſpexerit, vel agnoſcere noluerit?

An eos in foro externo de crimine (exceptis criminibus hæreſeos, Proditionis, Conjurationis in Principem) accuſaverit?

An eis in re gravi inobediens fuerit? An contra voluntatem Parentis uxorem indignam, ſcilicet cum dedecore, vel diſpen-

ſpendio familiæ duxerit? vel proficuam parentibus, quam illi volunt ducere noluerit?

An in ſcholis negligenter ſtuduerit, ſumptus parentum dilapidaverit?

An Præceptoribus ſuis gravem ingratitudinem irreverentiam oſtenderit, vel eos gravi injuria affecerit;

An ſuperiores ſuos contempſerit, vel eis inobediens fuerit, vel eum eis verbis contumelioſis contenderit?

An ſuperioribus ſuis tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, Parochis, Confeſſariis, Regibus, Præceptoribus, Doctoribus, graviter detraxerit?

De 5to Præcepto DEI.
Non Occides.

AN Vindictam gravem de aliquo ſumpſerit, vel ſumere voluerit?

An aliquem odio gravi habuerit? An optaverit alicui mortem, vel aliud damnum grave ſanitatis, famæ, honoris, bonorum tam temporalium, quam ſpiritualium?

An

An cum aliquo verbis mordacibus & valde læſivis contenderit? An aliquem verbis contumelioſis, convitioſis affecerit?

An aliquem graviter verberaverit, vulneraverit, occiderit? aut commiſerit aliis ut facerent; vel quod ſuo nomine erat ab aliis factum approbaverit; vel ad id auxilium dederit, vel conſilium favorem præſtiterit?

An ad duellum provocaverit vel provocatus duellaverit?

An noluerit veniam petere vel pacem inire cum illis quos graviter offendit; vel pro injuria illata non ſatisfecerit?

An ex odio omiſerit alloqui vel ſalutare aliquem; vel ſine odio quidem, ſed cum aliorum ſcandalo?

An in rebus adverſis & infortuniis ſibi mortem optaverit; aut ex furore & ira ſeipſum graviter percuſſerit, vel maledixerit; vel rapi ſe à dæmonibus imprecatus fuerit?

An maledixerit vivis vel defunctis, ex animo?

An

An feminaverit filania, excitando difcordias & inimicitias inter alios, five fecuto effectu, fine non?

An ex odio vel invidia affectus fuerit triftitiâ de profperitate aliorum, tam temporali, quam fpirituali; & an gavifus fuerit de aliquo malo, vel damno notabili aliorum?

An aliquid mali de proximo dixerit, patefaciendo ejus occultum peccatum vel defectum cum infamia vel damno illius?

An audiverit detractorem in gravi materia, ita ut auditione fua fuerit illi caufa ad detrahendum?

An literas aliorum contra voluntatem fcribentis aperuerit?

An fecretum fibi commiffum in re gravi revelaverit?

An temerè alium de peccato mortali judicaverit & condemnaverit?

An percufferit perfonam facram, fcilicet Clericum vel Religiofum; vel ei aliquam violentiam injuriofam intulerit? Nam hinc præter peccatum mortale, fequitur Excommunicatio.

De

De 6to & 9no Præcepto Dei.

Non mæchaberis, & Non concupiſces Uxorem proximi tui.

AN actu peccaverit cum fœmina, idque cum ſoluta vel Conjugata, Conſanguinea vel affine?

An commiſerit ſodomiam, hoc eſt peccatum contra naturam cum aliqua perſona utriusque ſexus?

An peccaverit cum perſona Deo conſecrata ſcilicet Clerico ordinato, Religioſo, Moniali?

An habuerit cogitationes inhoneſtas & immundas illisque ſe voluntariè oblectaverit?

An deliberatè deſideraverit peccare cum aliqua vel aliquo: quod peccatum eſt ejusdem ſpeciei, cujus eſt opus ipſum? An animo libidinoſo aſpexerit aliquem?

An locutus fuerit verba inhoneſta & obſcena, oblectando ſe illis, vel provocando alios ad peccatum; vel dando ſcandalum puſillis ſcilicet pueris & puellis?

An

An aſpexerit beſtias coeuntes cum voluptate, vel eas inhoneſtè tetigerit, vel cum eis peccaverit?

An commiſerit mollitiem cogitando de certa perſona ſcilicet: ſoluta, conjugata, conſanguinea Eccleſiaſtica?

An impudicè tetigerit fœminas vel adoleſcentes; vel ſe permiſerit tangi ab aliis; vel ſi fecerit amplexus & oſcula libidinoſè?

An animo peccandi miſerit literas, munera; vel induxerit ſuadendo conſulendo ad peccandum carnaliter? An verba inhoneſta, vel contilenas laſcivas libinoſè cum voluptate audiverit?

An conſultò dederit cauſam ad pollutionem futuram in ſomno vel vigilia? An conjugatus in actu matrimoniali, de alia perſona tali vel tali præter ſuam conjugem cogitaverit?

An aſpexerit imagines inpudicas; vel legerit libros laſcivos, & hiſtorias inhoneſtas, cum voluptate carnali, vel periculo habendi illam?

De 7mo & 10mo Præcepto Dei.

Non furtum facies : Non concupisces rem proximi tui.

AN rem notabilem invito ejus domino eidem abstulerit ; idque sacram ve de loco sacro?

An rem alienam apud se retinuerit, & non restituerit cum posset? An solutionem creditoribus potens solvere distulerit, propter quod illi damnum passi sunt

An rem inventam domino non restituerit, quem scivit, vel scire potuit? An emendo vel vendendo fraudem fecerit vel in pretio, vel in pondere, & mensura

An emerit ab illis qui potestatem vendendi non habent, ut à famulis, vel filiifamilias? An emerit res quas sciebat vel dubitabat esse furto ablatas: & sciendo vel dubitando aliquid de hujusmodi consumpserit?

An commiserit Usuram, vel fecerit contractum Usurarium, vel societatem injustam in mercatura? An accepta solutione vel salario ad gerendum officium

vel opus peragendum, non bene & fideliter illud gesserit?

An habuerit voluntatem opus acquirendi per fas & nefas? An ministros suos vel operarios mercede sua fraudaverit, aut cum damno, ipsorum solutionem distulerit?

An litem moverit contra justitiam, vel in lite justa usus fuerit fraude aliqua & deceptione ad vincendum.

An ludis prohibitis usus sit? An in ludo per fraudem aliquid lucratus sit; vel luserit cum illis, qui non possunt res suas alienare, ut cum filiis familias &c.

An defraudverit gabellas justas? An Simoniam commiserit quocunque modo? An Decimas Ecclesiis non reddiderit, vel census ex fundatione pia debitos sacerdotibus non solverit?

An per media illicita vel malos informationes obtinuerit rem aliquam, quæ nullo jure ei obveniebat; vel an alios impediverit injustè quominus aliquod commodum, vel lucrum consequerentur?

An participaverit cum raptoribus, furibus, latronibus, eos juvando, informando, eis consulendo &c. Et in his omnibus casibus damnificationis proximi, tenetur pœnitens ad restitutionem.

De 8vo Præcepto Dei.

AN juridicè interrogatus, falsum testimonium dederit in judicio, vel extra, vel alios ad illud induxerit?

An testificando mentitus sit cum præjudicio & damno notabili proximi? Si enim faciendo peccavit mortaliter & tenetur ad restitutionem.

De Peccatis quæ dicuntur Aliena.

Peccata Aliena exprimuntur his versiculis.

Jussio, Consilium, Consensus, palpo, recursu
Participans, mutus, non obstans, non manifesta

Hinc quæritur:

AN pœnitens præceperit, vel coeger aliquem committere aliquod pecc tu

tum grave? An consilium dederit, vel author fuerit alteri, ut peccatum grave committeret?

An consenserit peccatis aliorum, eaq; approbaverit?

An provocaverit alios ad peccandum? An adulando aliis, qui malè agunt; vel laudando ipsorum opera mala author fuerit aliis ad peccandum?

An cum posset & deberet, peccata aliorum non impediverit; vel reprehendere atque admonere peccantes omiserit? An fuerit socius, vel quandocunque particeps peccati aliorum? An hospitio receperit, vel defenderit homines malè agentes?

An cum posset & deberet non manifestaverit aliorum peccata, iis quorum officium erat ea corrigere?

De Peccatis Capitalibus.

Peccata Capitalia sunt: Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, Acedia. Unde quæritur:

AN Pænitens ita excellere appetierit, ut Deo, ſuperioribus, eorumque legibus ſubjici noluerit?

An inordinatè honores & dignitates ſibi non debitas appetierit; vel eas modo indebito procuraverit?

An ſe extulerit ſuper alios, cum contumeliis aliorum dicendo cum Phariſæo: Non ſum ſicut cæteri, velut hic Adulter &c.

An gloriatus fuerit de peccato mortali, vel glorianti applauſerit? An vituperaverit alium ob non ſumptam vindictam, vel aliud grave peccatum omiſſum v.gr. fornicationem, adulterium in certa occaſione?

An terrena Cœleſtibus antepoſuerit? An divitias cum violatione feſtorum, vel damno proximi comparaverit? An proximo in gravi neceſſitate conſtituto non ſubvenerit cum poſſet: vel eleemoſynam extremo indigenti negaverit propter ſuam tenacitatem?

An aliquid contra caſtitatem Corporis vel

vel Animæ commiserit? An comederit superfluè cum gravi læsione sanitatis? An jejunia Ecclesiæ violaverit, in quantitate, vel qualitate ciborum?

An perfectè inebriatus fuerit ut non fuerit rationis compos; An in ebrietate aliquid inhonestè, idque cum scandalo puerorum fecerit; vel verba obscœna dixerit; aut cantilenas turpes cantaverit?

An ira commotus graviter indignatus vel rixatus fuerit? vel convitia, maledicta contumelias in alium projecerit; vel eum calumniatus fuerit?

An de bono magno proximi tristatus fuerit; vel de malo gravi lætatus fuerit? An ex eo quod alter ipsi æqualis sit, vel superior ipso, in fortuna, divitiis dignitate doluerit?

An non libenter videns amicitiam aliquorum, inter eos discordiam seminaverit?

An ex ex negligentia annuam confessionem vel communionem paschalem omiserit? An aliquid ex voto dicendum ex negligentia non dixerit? De

De Peccatis Hominum diverſorum Statuum.

De Peccatis Cleri.

Epiſcopus.

AN pro Epiſcopatu pretium vulgo dictum Honorarium dederit? An ſponſam ſuam ſcilicet Cathedralem Eccleſiam curare, collabentem reſtaurare, ditare, ornare omiſerit?

An Diæceſim ſuam ſedulò & an raró, ſive per ſe, ſive per alium non viſitaverit? An Clerum ſibi ſubditum in diſciplina Clericali & honeſtate rigidè non tenuerit; ſed petulanter & ſcandaloſè vivere permiſerit?

An ovibus in pietate, Virtutibus, bonis operibus exemplum non præbuerit; ſed mundanam vitam duxerit, & per hoc aliis ſcandalo fuerit?

An Bona temporalia Eccleſiæ in conviviis compotationibus, luxibus, vanis hoſpitum tractationibus, donationibus abliguriverit?

An

An aulam ſplendidam, ſuperfluam, ad ſolam pompam mundi, & non ad neceſſitatem ſervaverit?

An pauperes, alere, veſtire; viduis, pupillis, ab infortunio humiliatis de bonis Epiſcopalibus, quæ ei ad hoc data ſunt, ſubvenire neglexerit immo noluerit?

An venationibus cum multitudine plurima canum, more principum ſæcularium ſeſe occupaverit?

An de Bonis Eccleſiæ conſanguineos ditaverit?

An ad Beneficia Eccleſiaſtica dignos; ad Curata doctos & exemplares non promoverit?

An Eccleſias ſuæ Diæceſis collapſas, vel Collabentes reſtaurari non curaverit? An cenſus piarum fundationum deperditos; vindicari non ſtuduerit &c.

Prælatus vel Canonicus.

An plures prælaturas vel Canonicatus habuerit?

An insolenti vitæ scilicet conviviis, compotationibus continuis, & choreis indulserit; & in hoc proventus Ecclesiasticos consumpserit?

An præter Prælaturam vel Canoniam, parochiam pinguem habuerit, & eam non curaverit; Ecclesiam depauperari, desolari, collabi permiserit, & solum proventus ex parochia collegerit?

An Eleemosynam de Bonis Ecclesiasticis dare pauperibus omiserit?

An Parochiam titulo & colore Anni gratiæ alteri vendiderit? An Census pios ex fundatione pauperibus debitos sibi usui paverit?

Sacerdos inferior.

An tonsuram & habitum Clericalem non portaverit?

An Horas Canonicas quolibet die integrè & attentè non recitaverit? An plura Beneficia incompatibilia, scilicet vel curata, vel residentiam requirentia, vel æqualia, vel uniformia sub eodem tecto habuerit?

An in peccato mortali potens confiteri celebraverit?

An mercaturam & negotiationem cum vilipensione gravi ſtatus Clericalis exercuerit?

An mulierem cum ſuſpicione gravi vel ſcandalo domi habuerit? vel cum ea peccaminoſe vixeri?

An in veſtibus ſacris valde ſordidis, & laceratis, & corporali multum maculato at turpi, cum irrverentia venerabilis ſacramenti miſſas abſolverit?

An Cenſuram aliquam violaverit? An ejus culpâ & negligentiâ aliquis Parochianus, ſine Baptiſmo, Confesſione ſacramentali, Euchariſtia, extrema unctione mortuus fuerit? An prædicare, & doctrinam neceſſariam ad ſalutem animæ tradere ovibus intermiſerit?

An ſe inebriare ſcandaloſè ſolitus fuerit?

An tabernas frequentaverit, ibique choreas duxerit; & alia indebita ſtatui clericali fecerit?

An bona provenientia ex Beneficio in profanos uſus v. gr. in convivia, compotationes frequentes & ſuperfluas expenderit?

An Eccleſiam collabentem reſtaurare cum poſſet omiſerit? An à parochia ſua, non ſubſtituto alio ſeſe diu abſentaverit? An infirmos viſitare; peccata Parochianorum corrigere neglexerit?

An Simoniam in aliquo commiſerit?

De Peccatis Parentum.

An adhibuerint diligentiam ſaltem mediocrem ut acquirerent bona, quibus liberi alantur, habeantque hæreditatem ſecundùm ſuum ſtatum?

An bona dilapidando impotentes ſe reddiderint ad liberos honeſtè ſecundùm ſtatum ſuum educandos & dotandos! An dotem ſine Cauſa negaverint?

An filiam ad matrimonium ineundum, vel ingrediendum ad Religionem invitam coegerint? In utroque enim caſu non ſolum peccant graviter, ſed etiam in-

incurrunt excommunicationem, ex Trident.

An quantum eſt in ipſis non curaverint, ut liberi bonis moribus imbuerentur, doctrinam Chriſtianam ſeu rudimenta fidei addiſcerent, pravorum conſortia vitarent, mandata Dei & Eccleſiæ obſervarent, ſacramenta frequentarent & à peccatis abſtinerent.

An occaſiones peccandi ab eis non averterint; vel ad loca periculoſa, aut domus ſuſpectas eos frequentare permiſerint? An liberos conſilio vel exemplo malo depravaverint? An diſſolutos non correxerint, vel puniverint.

De Peccatis.

Domini & Famuli ac ſubditi.

Dominus.

AN poſſesſionem alicui per vim vel per aſtutias juriſticas non eripuerit? An conſuetudines onerarias & contributiones, quæ in uſum perpetuum ceſſerunt ſubditis non impoſuerit.

An ſubditos laboribus novis & indebitis gravaverit? An eos diebus feſtivis ad ſervitia opera coëgerit? An liberos eorum contra voluntatem ipſorum ad aulam tanquam mancipia acceperit ac tenuerit?

An poſt mortem parentum, bona ipſorum acceperit liberis ea eripiendo? An pecuniam à ſubditis pro neceſſitate Reipublicæ contributam ſibi uſurpaverit? An bona mobilia ſubditorum legata Eccleſiis, xenodochiis ſibi retinuerit, & ad ſuos uſus converterit?

An bona pupillorum ſibi acceperit; pupillos non curaverit, eos in miſeria ſervaverint, vel peſſimè tractaverit.

An officiales ſuos crudeliter tractare ſubditos permiſerit & diſſimulaverit.

An extorquens ab Arendario magnam ſummam in contractu cum eodem, libertates & commoda ſubditis abſtulerit, & illis nova onera impoſuerit; ut Arendarius poſſit colligere quod Hæredi dedit.

An ſine juſta cauſa famulos vel ſubditos inpedierit ne miſſam audirent ; vel præceperit illis ea quæ ſine peccato fieri non poſſunt.

An occaſiones peccandi famulis vel ſubditis permiſerit ; vel graviter & quidem publice delinquentes non correxerit, non punierit ; vel negligentes Divina & neceſſaria ad ſalutem, non corripuerit.

An famulos vel ſubditos graviter idq; frequenter percuſſerit, in vinculis tenuerit, gravibus injuriis, verbis contumelioſis deliberatè affecerit ; eos de furto & aliis delictis temerè ſine fundamento judicaverit, atque coram aliis diſtamaverit.

An mercedem juſtam artificihus denegaverit, eos percuſſerit, verbis injurioſis affecerit ? An famulos volens privare mercede eis debita, furtum vel damnum ſibi factum eis mendaciter inpoſuerit ?

An volens famulum ſibi diu ſervire, per tot annos mercedem ejus apud ſe retinuerit, vel eam abſolutè non dederit ; vel loco mercedis, chartam promiſſoriam

fa-

famulo dederit? An ante tempus elapsum non solum mercede malitiosè famulum à se expulerit?

An eum qui liberos, aliosve domesticos verbis exemplis, vel moribus pravis corrumpit non corripuerit, aut domo non dimiserit?

Famulus vel Subditus.

An non servierit vel laboraverit fideliter? An grave damnum Domino intulerit, vel inferri permiserit cum posset impedire? An subditus absque gravissima causa: famulus verò ante tempus temerè à domino discesserit.

An famulus aliis Confamulis gratiam apud dominum invidendo, eosdem coram domino calumniatus fuerit, atque gratiam destruxerit.

An adulando, laudando, suadendo, mentiendo, dominum in aliqua gratia peccata v. gr. Homicidium Rapinam, Fornicationem, Adulterium &c. induxerit.

De Peccatis Conjugum.

An in aliquo peccato mortali, vel consan-

ſanguinitate aut affinitate ſive corporali, ſive ſpirituali matrimonium contraxerint? An uſi ſunt matrimonio diſſolutè, modo indebito, vel cum periculo abortus; aut cum periculo pollutionis tactus impudicos habuerint? An incautè ſcilicet cum ſcandalo puerorũ matrimonio uſi fuerint.

Maritus.

An uxorem graviter cædere ſolitus fuerit? An eam verbis contumelioſis, vel diffamatoriis affecerit? An cum ea in continua diſcordia vixerit? An uxori ſine cauſa cohabitare noluerit?

An gubernationem domùs, & rem familiarem neglexerit: ac alimenta propter uxorem & liberos procurare noluerit? An continuò bibendo, pugnando ſubſtantiam dilapidaverit?

Uxor.

An maritum rixis, vel verbis mordacibus, ad gravem iram, maledictiones vel blaſphemiam provocaverit.

An aliquid notabile expenderit extra utilitatem domus, contra voluntatem Viri, de his quæ ad eum pertinent. An

An ſpreto viro imperium ſibi uſurpaverit; vel ſe ingeſſerit in adminiſtrationem domùs ſine juſtè cauſa?

An ſine legitima cauſâ debitum conjugale negaverit?

An ſine ſufficienti judicio, malè de mariti incontinentia judicaverit, atque eum diffamaverit?

De Peccatis militum.

Duces Tribuni Centuriones atque alii Officiales.

An pauciores habuerint milites, quam in ſolutione ſtipendii exhibent? An in tranſitu per Regiones, à Civitatibus, oppidis & pagis contributiones quaſcunque extorſerint?

An acceperint pecunias ab oppidis & pagis, ne iſthic pernoctarent, vel morarentur? An uni militi dederit plures aſſignationes ad diverſas domos? An militibus ſtipendia ſubtrahentes, permiſerint extorquere ab incolis Regionum neceſ-

ſaria?

ſaria? An famulos ſuos, ubi & quæcunque poſſent rapere permiſerint?

Miles.

An in bello injuſto militaverit? An in bello, ſive juſto, ſive injuſto militare paratus fuerit? An accepto ſtipendio juſto à Principe, vel Republica ſtrenuè & fideliter non pugnaverit, ſed ſe à prælio ſubtraxerit?

An in hoſpitio Patriſfamilias & domeſticis gravis & moleſtus valde fuerit? An ſive in hoſpitio, ſive in locis per quæ tranſibat aliquid notabile abſtulerit, extorſerit, rapuerit?

De Peccatis.

Burgermagiſtri, ſeu Proconſulis Civitatis.

AN cum fuerit rudis & illiteratus, ac ad regendum ineptus, officium tamen hoc ambiverit, procuraverit ac per corruptiones obtinuerit?

An diſciplinam civilem ſervare, inſolentias compeſcere, peccata publica punire & corrigere neglexerit?

An

An bonum ſuum privatum, & non bonum commune civitatis promovere ſtuduerit; vel civitatem notabiliter damnificaverit? An debita contracta pro Civitate cum poſſet, non ſolverit, ſed cum ſuis Collegis confidentibus in compotationibus conſumpſerit.

An contributiones publicas æqualiter ex pauperibus & divitibus exegerit? An per reſpectum conſanguineis, vel amicis ſuis, contributiones debitas dimiſerit, & eas aliis cum gravamine illorum impoſuerit.

An ex odio, vel reſpectu iniquo aliquem civem, gravi pœna vel ære mulctaverit? An injuriam gravem patienti, rogans juſtitiam facere omiſerit?

An juſtitiam in rebus vendendis & emendis, per eum taxandis in civitate non attenderit? An feſta per artifices violari permiiſerit? An levi de cauſa aliquem graviter puniverit, carceraverit, oppreſſerit?

An adulteria intuitu aliquo punire diſſimulaverit?

De Peccatis Judicis.

An carens ſcientiâ neceſſariâ, & peritiâ juris, officium judicis procuraverit, & ſuſceperit? nam damna inde ſequentia tenetur reſarcire.

An ſine juſta ratione Cauſas præſertim pauperum pupillorum, Viduarum judicare notabiliter diſtulerit? aliàs tenetur ad reſtitutionem. An propter reſpectum perſonæ inſignis, vel ſanguinis, vel amicitiæ, vel timore correptus iniquam ſententiam protulerit?

An non habita ſufficienti inquiſitione, & plenæ Cauſæ diſcusſione ad ſententiam acceſſerit? An odio vel corruptione munerum ductus, cauſam alteri adjudicaverit?

An propter ſuum fructum, uti mulcta pecuniaria multum exceſſerit; vel an propter eundem finem mulctavarit in marſupio, quem jura jubebant punire in vita?

An judex extorſerit confesſionem à reo per injuriam v. gr. ſi torſerit exemptos; vel

vel si sine sufficientibus indiciis; vel si dolo, mendaciis, ficta impunitatis promissione induxit ad fatendum; vel si notabiliter excesserit in tortura? Quo casu non solùm judex peccat, sed etiam Confessio est nulla? An Judex sciens reum privata scientiâ nocentem, si juridicè probatus sit innocens, condemnaverit?

De Peccatis Advocati seu Patroni Causæ.

An cùm non sit idoneus, scilicet sufficienter in jure peritus officium Advocati seu Patroni exercuerit?

An defenderit causam injustam volendo vincere?

An ob nimias dilationes illicitas, subornationes testium &c. notabiliter nocuerit parti adversæ habenti alias justam causam?

An simul & semel utrique parti patrocinatus fuerit; vel simul advocatus & judex, vel assessor fuerit?

An defendendo causam justam, produxerit tamen scripturas falsas testes falsos, & instrumenta falsa?

An cum gravamine partis alterius, quæsierit delationes impertinentes? An requisierit & acceperit mercedem superfluam?

An rationes & fundamenta Clientis, quem justè defendit, vel secreta causæ adversario detexerit; propter quod cliens causam perdidit, & grave passus est damnum? Nam tum Advocatus & peccat graviter, & ad restitutionem tenetur.

An expeditiones causarum multum distulerit, postposuerit, plures quam posset expedire acceptaverit, negligenter tractaverit, ut propter hoc causa perdita fuerit?

An suaserit suæ parti, ut injustè viritatem negaret, vel falsò juraret? An corruptus muneribus adduxerit partes ad concordiam iniquam? An informationibus falsis perverterit Judicem?

De Peccatis Scribæ, ſeu Notarii & Secretarii.

Notarius publicus.

AN ſine ſufficienti peritia officium hoc ſuceperit? An juramentum violaverit? An depoſitioni teſtium aliquid non levis momenti addiderit, vel detraxerit?

An examen famulo ad deſcribendum cum periculo graviter errandi commiſerit? An protocolla & acta negligenter cum damno partium cuſtodierit? An diſtulerit expeditionem cauſarum ut pecuniam extorqueret?

An teſtamentum hominis uſu rationis deſtituti ſcripſerit tanquam ejus qui eſt rationis compos? An ſciens falſos teſtes admiſerit? An ſolemnitates juris neceſſarias ex malitia vel ignorantia culpabili prætermiſerit?

An teſtimonium aliquod neceſſarium, unius rogatu, & alterius damno non exhibuerit? An confecerit inſtrumentum Uſurarium, vel falſum in damnum alterius?

An

An formaverit ita processus, ut Causæ deberent venire ad alios judices, quam ordo tribunalis postulat?

An secretum violaverit v. gr. aperiendo parti dicta testium, ante eorum publicationem? An parti petenti acta vel instrumenta occultaverit, vel transsumptum processus negaverit? An in testamento moribundi quod scribebat, pia legata scribere prætermiserit? An testamenta continentia pia legata occultaverit, ex protocollo disciderit, combusserit?

An ei qui amisit publicum instrumentum, vel testamentum, aliud simile confinxerit? An extradendo instrumenta injustam mercedem extorserit?

An Notarius thesauri Regni, milites in stipendio defraudaverit, cunctando, milites cum assignatione venientes in expectatione longa detinendo, pecunias in thesauro non esse mentiendo; eos per hoc ad remissionem stipendii in medietate, vel magna parte cogendo, & eam pecuniam sibi applicando &c.

An accipiens munera ab eo qui non solvit quartam ex starostia, syngraphe quietationis de soluta quanta dederit?

Secretarius.

An juramentum violaverit? An arcanum prodiderit? An sententiam nondũ publicatam propalaverit? An testimonia infideliter transscripserit, sive exaggerando, sive minuendo, sive immutando, aut invertendo?

De Peccatis

Medici, Pharmacopolæ, Chirurgi

Medicus.

An absque sufficienti doctrina & peritia medicinali curare tentaverit.

An occurrente gravi & insolito morbo, speciali studio operam non intenderit? An habens medicamenta probabiliter utilia, vel explorata, adhibuerit inexplorata experiendi gratia? An non cognitâ bene morbi naturâ, temerè adhibuerit remedia obvia, vel periculosa, præsertim cum periculo vitæ, vel gravis læsionis?

An ægroto existenti in periculo, opportunè non adfuerit, eum curare neglexerit?

vel

vel alios medicos adhiberi non permiserit? An aliquid Dei honori, vel Divino præcepto contrarium v. gr. incantationem, pollutionem, superstitionem &c. suaserit?

An facilè & sine necessitate ab jejunio absolverit, esum carnium permittendo? An pauperem ægrotantem, & in discrimine vitæ existentem, juvare contempserit?

Pharmacopola.

An rudis & ignarus munus exercuerit? An sine arte vel diligentia medicamenta confecerit? An in potionibus loco sachari, melle usus fuerit? An unum medicamentum pro alio contra præscriptum & voluntatem Medici ægroto porrexerit?

An medicamentum ad non concipiendum, vel ad fœtum ejiciendum vendiderit? An pharmaca inutilia scilicet vetera, quæ evaporaverunt, vel computruerunt, tanquam utilia adhibuerit?

Chirurgus.

An sine scientia & peritia vulnera curare tentaverit cum periculo infirmi? An dum gravitas vulneris exigeret Medicum

(propter quod æger mortuus eſt) non conſuluerit? An propter lucrum majus curationem protraxerit?

An mercedem juſto majorem acceperit? An abortùs cauſa venam aperuerit vel aliud remedium adhibuerit?

De Peccatis Opificum.

Mercator.

An venenum & alia prohibita vendiderit personis ſuſpectis de pravo uſu veneni? An paratus fuerit pretium quodcunque etiam injuſtum ab emptore accipere?

An mercium gravem defectum occultum non aperuerit? An in injuriam emptorum, monopolium, cum aliis inſtituerit? An merces unius generis, ſibi ſoli vendendas obtinuerit, cum immoderato ſuo lucro, & damno emptorum?

An merces ab ignorante pretium mercium emerit pretio vili, vendiderit autem pretio magno? An merces veteres & inutiles pro recentib9 vendiderit, novis admiſcuerit, & utrasque eodem pretio vendiderit?

An gabellas & juſta tributa defraudaverit?

An tempore debito cùm posset creditorib9 non solverit, cum gravi eorum damno? An juraverit falsò se tanto pretio merces comparâsse? An iniverit contractum injustum, vel de cujus justitia dubitabat?

An à simplici & ignorante, excessivum pretium acceperit?

Bibliopola.

An vendiderit libros prohibitos, perniciosos, Machiavelisticos, lascivos? An librum defectu laborantem pro integro vendiderit?

Argentarius seu Aurifaber.

An metallum vile pro pretioso vendiderit? An auro vel argento plus ejus admiscuerit, quam ars requirit, & emptoribus mixtionem non significaverit, neque pretium minuerit? An ex rebus furtivis aliquid emerit mala fide? An communem lapillum pro pretioso vendiderit? vel pretiosum pro vili emerit?

Sartor, Sutor, Faber.

An juraverint se tali die opus perfecturos, quod sciunt vel dubitant non futurum?

An plus materiæ exegerint quam opus si necessarium; vel partes residuas sibi retinuerint contra voluntatem domini, & cum damno ejus?

An diem festum sine gravi causa per se vel suos famulos violare ausi fuerint? &c.

§. III.

Æger pænitens offert suam Confessionem Domino.

FActa plena suorum reatuum confessione servus debitor seu infirmus, offerat illam Domino atque humillimè dicat: Sit tibi Misericordissime Domine meus, Dulcissime Jesu, obsecro per clementiam tuam, & merita Beatissimæ Virginis Matris tuæ, & omnium sanctorum, grata & accepta ista mea Confessio: & quidquid defuit ad perfectionem Contritionis; ad puritatem & integritatem Confessionis, suppleat pietas & Misericordia tua: suppleat Passio tua pretiosissima, suppleant inæstimabilia merita tua. Et ego hæc peccata, de quibus me accusavi, & alia quorum recordari non possum; vel quæ per oblivionem, aut in-

con-

consideratiοnem non sum confessus; vel illa pro peccatis non reputavi, iterum centies millies confiteor: de illis me accuso, confundor, & erubesco. Tu qui es abyssus pietatis & Misericordiæ, miserere mei.

§. IV.

Æger pœnitens proponit se emendaturum.

Heu me miserum Misericordissime Deus. Tua sunt optime Domine meus omnia quæ in Cœlo sunt & quæ in terra. ego autē infelix non sum tuus quia non sum servus tuus sed servus mundi, carnis & diaboli; servus sensuum, Concupiscentiarum, & pravorum desideriorum; servus superbiæ Avaritiæ, Gulæ, Iræ, Invidiæ, Luxuriæ, & aliorum flagitionum meorum. O cœcam insaniam? O stultissimam voluptatis peccaminosæ aviditatem? Quem fructum retuli ex illis, de quibus nunc erubesco? Delectatio occidit & præteriit: vulneravit & transiit, ac me miserum fecit. Nunc verè cognosco solam esse libertatem, non servire peccatis: & quod qui facit peccatum, servus est peccati. Nunc scio verè, maximam

mam esse felicitatem & veram sapientiam, peccati non rubere culpâ, nec ferre crudelem peccati dominatum. Toties hæc audivi, toties expertus sum; & tamen miser à peccatis nondum destiti, sed à scelere in scelus impetu furibundo delapsus sum. Qua propter confundor in memetipso, nec dignus sum oculos in Cœlum levare, sed magis dignus essem illos plorando amittere. Exaudi Domine, Placare Domine. Aspice infelicem pietas immensa; respice miserum Misericordia infinita. Jam ab hinc volo esse servus tuus. Desidero me ipsum tibi in spontaneam oblationem offerre, & tuꝰ perpetuò manere. Domine in simplicitate cordis mei, offero meipsum tibi hodie in servum sempiternum, in obsequium, & in sacrificium laudis perpetuæ. Suscipe servum tuum in bonum. Præsento tibi omnia debita & peccata mea: & tu Deus piissime Miserere mei, secundum magnam Misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam; dele omnia debita mea, & conscien-

tiam

tiam meam ab omni delicto emunda: & restitue mihi gratiam tuam quam peccando amisi, omnia mihi plenè indulgendo, & in osculum pacis me misericorditer assumendo.

Quid possum agere pro peccatis meis, nisi ea humiliter confiteri & lamentari, ac tuam Misericordiam incessanter deprecari Deprecor igitur te, tu propitius exaudi me. Omnia peccata mea maximè displicent mihi: nolo ea unquam amplius perpetrare; sed pro eis doleo, & dolebo, quam diu vixero; paratus pœnitentiam agere, & pro posse satisfacere. Contemno omnia mundana; execror prohibitas sensuum voluptates; odi summè offensam tuam. Maledictũ peccatum. Maledicta peccati voluptas. O summum Bonum, Dulcissime Deus, utinam te nunquam sprevissem? utinam te nunquam offendissem. Malo centies millies mori, quam semel peccato fædari, & te piissimum Patrem offendere Et tu age mecum secundum Bonitatem tuam, & non secundam malitiam & nequitiam meam.

ACTIO V.

Æger gratias agit, & benedicit Dominum pro restitutione sui in gratiam.

Ela Misericordissime Pater. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo; & glorificabo Nomen tuum in æternum: quia Misericordia tua magna est super me; & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Nam cum essem filius perditionis, me toties mortiferè peccantem, subitanea & mala morte non sustulisti, ad infernum non condemnâsti; sed scelera mea dissimulâsti, me patienter expectâsti, misericorditer ad te vocâsti, horrendè lapsum de abysso perditionis sublevâsti & erexisti, locum pœnitentiæ dedisti, in gratiam tuam (ut spero) perduxisti, ex hærede inferni, hæredem Cœli iterum fecisti. Benedico igitur piissimum Dulcissimnm Deum Cœli, & coram omnibus viventib9 confitebor ei, quia fecit mecum Misericordiam suam. Benedictus sit Deus Pater, Vnigenitusque Dei Filius, Sanctus quoq; Spiritus, quia fecit mecum Misericordiam suam.

ſuam. Te Deum Patrem ingenitum; te Filium Vnigenitum: te Spiritum S. Paraclitum, Sanctam & individuam Trinitatem, toto corde & ore, confiteor, laudo, atque benedico; tibi Gloria in ſecula ſeculorum: Benedictus Deus, Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur me in omni tribulatione mea.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt Nomini ſancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivíſci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in Miſericordia & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Laudent te miſericordisſime Deus, Cœli, terra, maria, & omnia quæ in eis ſunt. Laudet te ipſa Bonitas & Miſericordia tua, quā oſtendiſti mihi. Et ego viribus omnium Creaturarum tam actualium quam posſibilium infinities te laudo, Benedico, adoro, amo,

amo, glorifico, tibiq; gratias, ago, pro eo: quia recordatus es Misericordiæ tuæ magnæ; & eam mihi misero præstitisti. Sis in æternum Benedictus. Amen.

ACTIO VI.

Æger reconciliatus, recipit hospitio Dominum suum in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

BOnus Dominus Dulcissimus Jesus, servum debitorem scilicet peccatorem, non solùm recipit, eidem debita dimittit, gratiam per peccata amissam restituit; sed etiam illum suo sacratissimo corpore & sanguine, esurientem pascit, deficientem reficit, atque ipse in sacramento occultatus ad eum venire dignatur, desideratam sibi in ejus anima constituens mansionem. Quocirca servus Domino reconciliatus per sacram confessionem peccatorum scilicet æger, curet huic Benignissimo & Amabilissimo Domino, summo devotionis affectu occurrere, eum recipere, ei maximas gratias agere, atque aliquid gratissimum offerre.

§. I.

§. I.

Æger reconciliatus, summo pietatis affectu currit obviam Domino Jesu in Sanctissimo Sacramento adventanti.

ET unde hoc mihi servo indignissimo, peccatori maximo, ut veniat Dominus meus ad me? Quid tibi Domine Jesu, ut digneris me visitare servum tuum, atq; sic te mihi communicare. Tu Creator, ego creatura. Tu Dominus maximus, ego homuncio servulus, & vermis. Tu Deus, ego limus. Tu infinitæ perfectionis Essentia ego nihil, Tu sanctitas ipsa, Bonitas & Beatitudo; ego impius flagitiosus & infelix. Cur ergo ad me properas? Cur mortem minaris nisi suscepero? An tu fortassis præ amore mei nescis, quis qualis & quantus sis? sed quia scis, ad me tamen venire non dedignaris, pro tua bonitate & dignatione infinities sis Benedictus in æternum. Veni ergo Dulcissime Domine & noli tardare, tui enim amore langveo.

Euge serve licet non bone annuntio tibi gaudium magnum: gaude & lætare, quia

venit ad te Dominus tuus, non iratus, ſed placatus, Placidisſimus Creator, Benignisſimus Pater, Deus & Homo, Chriſtus Jeſus, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum. Occurre illi, & hunc Amabilisſimum ſuſcipe hoſpitem. Sed quomodo te Domine, Deus ſancte, fortis & immortalis audebo ſuſcipere? Ecce Oza ſacerdos declinantibꝰ bobus, Arcam Dei ſuſtinens percuſſus moritur. Ecce Bethſamitarum curioſè Arcam Dei inſpicientium, tot occiduntur millia; quomodo ergo, non Arcam Dei, ſed temetipſum Deum ſuſcepturus non exhorreſcam? Ecce S. Joannes Baptiſta dicit ſe non eſſe dignum corrigiam calceamenti tui ſolvere. Ecce S. Petrus præſentiam tuam extimeſcens dicit: Exi à me Domine, quia homo, peccator ſum ego; quomodo ego non ſolùm palpare, ſed manducare præſumam? O Deus meus, pulcherrime ſponſæ animæ meæ, quomodo ad me pollutum & ſordidum intrabis? Ergone huc ſe demittet Majeſtas & pietas tua, ut in me cloacam fœtidam, & ſentinam vitiorum

rum ingredi non dedigneris? tanta eſt bonitas tua, tantus eſt amor tuus in me. Igitur Amabilisſime Domine propter immenſam pietatem tuam, noli me recipientem te averſari, qui non es averſatus mulierem profluvio ſanguinis affectam te tangentem; qui cœcos, claudos immundos, leproſos ad te appropinquantes non rejeciſti; qui te à meretrice tangi permiſiſti; qui cum peccatoribus manducâſti. Veni ergo Dulcisſime Domine, nam te millies deſidero.

Scio te Domine Jeſu eſſe Fontem omnis dulcedinis, & immenſum mare gratiarum, ideoque quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus, ut in me habites, apud me commoreris, nunquam à me diſcedens. Scio ô ſuavisſime Jeſu, Amabilisſime animarum ſponſe, dum te in ſacramento recipio, fieri me thalamum tuum, templum Spiritus Sancti, tabernaculum Sanctisſimæ Trinitatis, ſepulchrum tuum vivum: ideo te in me ardentisſime volo, ſcio ò Amator ho-

hominum Desideratissime Jesu, dum communico carnem meam tangi à benedicta carne tua; me tua dulcissima membra amplecti, osculari: ideo sumendi te summo ardeo desiderio. Scio denique me communicantem ex servo fieri amicum, & domesticum tuum: scio me tunc assidere mensæ Regiæ, vesci epulo pretiosissimo; scio me panem Angelorum sumere, deliciis Cœlestibus frui, ac bonis omnibus cumulari, denique in terris fieri beatum: ea propter cor meum & caro mea exultaverunt in te Deum vivum.

Festina ergo Domine, & ne tardaveris; patent tibi cordis mei penetralia. Veni Dilecte mi. Veni Dilecte votorum meorum, & visita indignum famulum tuum. En ostium apertum animæ meæ. Veni Jesu infinitè amabilis. Veni millies desiderate, Veni in cor meum; posside illud, & conforma cordi tuo. Veni lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Veni ô amator peccatorum, reparator confractorum, Veni ô dul-

cis

cis Pater pauperum. Et quia ſum infirmus, fœdus, pauper, nudus, cœcus, ac tanto hoſpite indignus; tu pro tua immenſa pietate, meam digneris curare infirmitatom, lavare fœditatem, ditare paupertatem Veſtire nuditatem, illuminare cæcitatem, dignificare indignitatem. Da mihi ut te ſuſcipiam, cum tanta fide, humilitate, religione, pietate, devotione, charitate, timore reverentia, ſicut decet tuam Majeſtatem ſanctitatem & dignitatem. Deſidero enim te ſuſcipere, ſicut te ſuſcepit in Vterum ſacratisſima tua Mater; atque omnes qui te dignè ſuſceperunt & ſuſcipient in hoc ſacramento, quorum omnium affectus, & actus ſanctos atque merita, in unione tuorum actuum tibi offero. Tu quoque Dulcisſime Jeſu, da mihi tua merita, & virtutes tuas ſanctisſimas, quibus veſtitus & decoratus, oculis tuis inveniar gratus, & tua Divina præſentiâ dignus.

§. II.

Ægrotus ingredientem excipit Dominum in Sanctisſimo Euchariſtiæ Sacramento.

Do-

DOmine non ſum dignus ut intres ſub tectum cordis mei; ſed quia tu bonus vis ut de hoſpitio ad manendum ſuſcipiam: ecce mancipium tuum, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Bene veneris ad me Dominus meus, Deus meus, Creator & Redemptor meus. Proſterno me & projicio ante pedes tuos, eosque amoroſisſimè amplector & oſculor. Ergo ô hoſpes Dulcisſime. deſideratisſime, gratisſime, Jeſu amabilisſime deliciæ meæ, amor meus, omne bonum meum, ſis meus, & ego ſemper tuus; nunquam me á te ſeparari permittas. Dominus meus & Deus meus. Deus cordis mei, & pars mea in æternum. Deus meus & omnia.

§. III.

Infirmus Dominum à ſe ſuſceptum Salutat, laudat, benedicit, eiq́ gratias agit.

SAlve mellifluc, ſalve ſuavisſime JESU, hoſpes diu deſiderate, anxiè quæſite, ſollicitè adamate. Saluto te ex intimis animæ meæ viſceribus, cum Patre & Spiritu S. apud me indignisſimum permanentem.

O ani-

O anima mea habes multa bona, non terrestria; sed omnia bona vera, Cœlestia & divina, dum habes in te summum Bonum, & fontem omnium bonorum pretiosissimum Jesum: gaude ergo & lætare felix, tantis cumulata bonis. Sed quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Quid tibi reddam omnipotens Domine? quid rependam? quas gratias agam, pro tanta gratia: quia tu ad me venisti, & te mihi in cibum dedisti? Non sufficio. Scio te dixisse Ps. 49. Sacrificium laudis honorificabit me. Igitur ego te totis viribus quantum possum laudo & benedico.

Laudent te Gloriosissime Jesu Cœli, Terra, Mare & omnia quæ in eis sunt. Laudent & benedicant te omnes justi, electi tui; laudent & superexaltent te in secula. Laudent & benedicant te sancti Angeli tui; laudent & superexaltent te in secula. Laudet & benedicat te Gloriosissima Dei genitrix, Virgo & Mater tua Dulcissima. Laudet & benedicat te sanctissima & Divinissima Humanitas tua. Laudet te denique in-

infinita bonitas & pietas tua, quam ostendis omnibus Creaturis, & præcipuè mihi indignissimo & ingratissimo. Laudet te infinita sapientia, omnipotentia tua, infinita pulchritudo Magnitudo tua. Et ego viribus omnium Creaturarum tam actualium quam possibilium, infinities te laudo, benedico amo, adoro, glorifico, tibique gratias ago, pro tuis maximis, innumeris, inæstimabilibus beneficiis tuis mihi ab æterno, & in tempore tam in communi, cum aliis, quam in particulari mihi soli concessis: præcipuè quia me in gremio S. Ecclesiæ Catholicæ collocâsti & mori tribuisti, Sanctis Sacramentis tuis uti dedisti, sanctissimo corpore & sanguine tuo, tam diu pavisti, & nunc me eodem suavissimè refecisti. O quanti Paganorum, Judæorum, Hæreticorum carent hoc Cœlesti pabulo? quantì Catholicorum inter Hæreticos commorantium desiderant hoc divinum Convivium, & non habent? quanti moriuntur non refecti hoc Angelico pane? Hoc me tu pati non es passus, sed te mihi in escam

de-

dedisti, & me teipso satiasti, refecisti, honorasti, ditasti. Pro quo sis infinities benedictus. Gloria Patri & Filio & Spiritui S. Sicut erat in principio & nunc & semper. Et in secula seculorum Amen.

Benedictus es Domine in firmamento Cœli. Et laudabilis & gloriosus, & superexaltatus in secula.

§. IV.

Æger Domino Jesu, apud se hospitanti offert munera.

PAuper & nudus, ac abyssus nihili cum sim, nihil habeo, quod tibi offerrem Dulcissime Domine Jesu, præter hoc quod à te accepi. Scio te dicere mihi: Præbe fili mi cor tuum: Prov. 23. hoc ego tibi ardens amore, & ipsum offero amorem; quo propter te contemno omnia terrena, & arbitror ut stercora, atque abominor omnia quæ tibi displicent te autem omniposſibiliter amo summè Bonum, & summum Bonum. O quis mihi daret omnes affectus & actus sanctissimæ tuæ Matris, quos habuit erga te quando te concepit, in Vtero portavit,

tavit genuit educavit,& tecum vixit? O si haberē omnes affectus & actus pios omnium celebrantium & communicantium: hos omnes Dulcissime Jesu tibi offero, & ipse elicere desidero.

Accipio quoque de thesauris meritorum tuorum Pretiosissime Domine Jesu omnes cogitationes sanctas, quas hic in mundo habuisti; omnes affectus & actus, quibus Patrem & Deum orasti, adorasti, laudasti, benedixisti, honorasti, dilexisti, ipsi gratias egisti, & infinities meruisti; Cum quibus omnibus jungo & unio omnes (quæ fuerunt, sunt, & erunt, in Ecclesia Dei) cogitationes sanctas, affectus pios, actus Virtutum, opera bona, & tibi placita, atque Sacro Sancta sacrificia (desiderans ista omnia ipse perficere) & hæc sibi Dulcissimo Domino præsento, atque in munus gratissimum offerro. Et quia in me requiris dignos fructus pœnitentiæ, & ego illos non habeo; pro his offero tibi tua SacroSancta jejunia, & omnem vitæ tuæ austeritatem, totam Passionem & mortem tuam.

Virtutibus quia nudus ſum, offero tibi tuas ſanctisſimas & perfectisſimas Virtutes, ſcilicet: Religionem, Humilitatem Charitatem, obedientiam, Innocentiam, Virginitatem, Caſtitatem, Paupertatem, Manſuetudinem, Patientiam, fortitudinem, Conſtantiam, temperantiam, aliasq; omnes. Tu Benignisſime Domine Jeſu ſuſcipere à me digneris; nam ego te in his virtutibus pro poſſe meo imitari volo & deſidero.

§. V.

Ægrotus ſupplicat Domino apud ſe hoſpitanti pro neceſſitatibus.

Liberalisſime Domine, Dulcisſime Jeſu, procidens ad pedes tuos, humillimè deprecor immenſam pietatem tuam; ut ſicut me indignum ſervum tuum viſitare dignatus es: ita preces meas exaudire, & indigentias meas ſublevare digneris. En ſum undequaque miſer; tu illos tuos miſericordisſimos oculos ad me converte & miſerere mei. Sum infirmus, ſana me. Sum debilis conforta me. Sum lapſus & eliſus, erige me. Sum tepidus, animò frigidus, acce-

accende & inflamma me. Sum cœcus, Domine ut videam, illumina me. Sum fœdus & maculatus, ablue & munda me. Sum nudus, vesti & operi me gratiâ tuâ & Virtutibus Sanctis. Sum pauper, dita me. Sis mihi in omnibus omnia. Esto mihi ductor in dubiis, Magister in scientiis, Virtus in tentationibus, Medicus in ægritudine, solamen in angustiis, clypeus in adversitate, salus in agone. Libera me ab omni peccato; & à terrenis procul remove cor meum. Da ut mihi moriar, & tibi vivam. Fræna & mitiga inordinatos motus meos. Cohibe cæcam & furibundam carnis concupiscentiam. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum renova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.

Da mihi ambilissime Jesu sedium tuarum assistricem sapientiam, & gratiam quæ mecum sit, & mecum laboret, me roboret & protegat, ne succumbam in tentationibus, & cadam coram inimicis meis. Ne derelinquas me in cogitatu maligno.

ligno. Da mihi voluntatem bonam, eamq; amore tuo inflamma; & libera me à voluntate mala. Da intentionem rectam & desiderium tibi placendi in omnibus actibus meis. Da gratitudinem pro tuis sanctissimis beneficiis; Contritionem veram, detestationem peccatorum summam, firmissimum propositum ampliùs non peccandi. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus: prævalui adversùs eum. O Dulcissime mi Jesu, da mihi omnia quæ pertinent ad felicem mortem, cui jam sum vicinus. Per tuum dolorosissimum agonem, & tuas amarissimas horas, quibus in cruce pependisti, miserere mei in illo mortis tremendo articulo, à quo pendet vel vita, vel mors & perditio æterna. Parce mihi, parce malis meis, parce peccatis meis.

Supplico quoque Misericordissime Domine, pro Parentibus & cognatis, Benefactoribus, amicis & inimicis meis. Miserere omnium in statu peccati, in agone, in tentatione, in desperatione, in ægritudine, in

periculo, in captivitate vel carcere, in afflictione & adversitate, vel in aliqua necessitate existentium. Miserere etiam omnium eorum, pro quibus ego piissime Deus orare debeo, & tu rogari vis; pro quibus orare promisi; nec non eorum qui se indignis meis orationibus commendaverunt; vel mei in suis orationibus memoriam faciunt, vel mihi aliquod Charitatis officium, & pietatis studium impenderunt; vel in aliquo nocuerunt. Miserere omnium, quos ego servus tuus, indignis precibus meis coram tua Majestate juvare possem, in omnibus statibus tam in communi, quàm in particulari; vel à me subsidium expectant vivorum & mortuorum. Per temetipsum qui es spes & propitiatio ac salus nostra Amen.

§. VI.

Infirmus invocat Beatissimam Dei Matrem, suosq; SS Patronos, ut suppleant ejus defectus in Communione sanctissima.

O Sacratissima Virgo & Mater. O serenissima Cœli Terræque Regina, DEI

Genitrix Maria Gloriosissima, quæ omnipotentem Creatorem omnium Creaturarum, in tuo sacratissimo utero portare, & tuis virgineis uberibus sola lactare digna fuisti. Cujus verissimum corpus, ego indignus peccator modo sumere præsumpsi, tuam humiliter deprecor Misericordiam, quatenus apud ipsum pro me intercedere digneris; ut quidquid in sanctissima Communione mihi defuit; & per me negligentem, tepidè, indevotè, irreverenter, atque culpabiliter commissum est, per tuas sacratissimas preces, & tua merita pretiosissima, mihi benignissima indulgere dignetur, idem Dominus noster Jesus Christus, Filius tuus; quem pro nobis omnibus vivis & defunctis exorare incessanter digneris. Vos quoque S. Michaël, S. Gabriel, S. Angele mi Custos, SS. Patroni mei N. N. invoco, & humiliter deprecor: adeste in conspectu Divinæ Majestatis, & gratias eidem piissimæ Majestati, mecum agite; defectus meos supplete; & pro nobis omnibus, tam vivis, quam Defunctis intercedere dignemini Amen.

ACTIO

ACTIO VII.

Æger piis Actibus compensat omissum, vel negligenter persolutum servitium divinum.

SI quilibet servus debet facere voluntatem domini sui, multò magis servus Dei scilicet Christianus fidelis debet facere voluntatem Domini Dei; & sese occupare in ejus labore & operibus, seu actibus, qui Deo maximè placent, & cedunt ad ejus Honorem & laudem, servo autem inerentur apud Dominum Deum gratiam, ac præmium vitæ æternæ. Opera vero & actus isti sunt: Actus fidei, spei, charitatis, Adorationis, Laudis, Gratiarũ actionis &c. Quem laborem Deo debitum quia servus, scilicet æger in vita omisit, vel vix aliquando idque negligenter persolvit: ideo dum vivit, & inquantum potest omissionem vel negligentiam diligenter compenset, atque Actus prædictos affectuotissimè eliciat.

Actus Fidei.

O Deus æterna & suprema veritas, credo, & pro infallibili veritate confiteor

Qui

Quia tu es Deus in Trinitate Vnus, Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Tres personæ in una Deitate, æquales sibi per omnia. Credo Vnice Filii Dei, quia tu Deus verus existens, propter salutem hominum factus es Homo; atque passus & Crucifixus nos sanguine tuo & morte ignominiosissima redemisti; septem sacramenta ad consequendam vitam æternam instituisti; Verum corpus & sanguinem tuum, & teipsum solùm in Beatissimo Eucharistiæ sacramento nobis in Cibum & potum reliquisti; Mercedem omnibus hominibus tam bonis quam malis pro operibus, post mortem præparasti &c. Et præter hoc, omnia quæcunq; Ecclesiæ S. Catholica ad credendum proponit, libenter amplector, & firmiter confiteor. Omnes errores Paganorum, Judæorum, Hæreticorum condemno. De hoc coram Deo, & omnibus Creaturis protestor: quia in sinu S. Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ mori volo & desidero; atque nullis dubietatibus contra fidem hujus Ecclesiæ consentire volo.

Hoc unicè & cordicitùs doleo, & deploro optimè Deus: quod in te totus mundus non credat; te non adoret non laudet; de tuis mysteriis sic non sentit, sicut tu revelâsti, & per S. Ecclesiam ad credendum tradidisti. Igitur ego te humiliter & obnixè deprecor, quatenus me in Fide S. Catholica robores & confirmes, Pro qua Fide omnia tormenta, & mortem crudelissimam cum auxilio tuo Domine Deus sustinere & pati paratus sum, si tuæ sanctissimæ placeret voluntati. Ergo velle meum suscipe; & meritorum SS. Martyrum, qui propter Fidem S. passi sunt, digneris me facere participem.

Actus spei.

O Deus optime, dum ego inspicio conscientiam & librum vitæ meæ, facta & opera mea non bene mihi ominantur. Nam omittens benefacere, feci hoc, quod carni, mundo & diabolo placuit; & in hoc vitam meam consumebam, & te Deum meum offendebam: sicut nunc peccata mea minentur & promittant ultimam

iram tuam, & pœnam æternam. Attamen ego nunquam desperabo de gratia & Misericordia tua: sed respiciens infinitum Oceanum seu mare immensum Misericordiæ tuæ, illuc me confero; & à te Deo irato, fugio & appello ad te Deum Misericordissimum: ut me non ut Judex justus judices, sed ut Pater Benignissimus peccata mea, & offensas tuas Clementiâ tuâ cooperias. Fugio quoque ad Sanctissima vulnera Filii tui, & Salvatoris mei Jesu Christi; & tibi ejus sanguinem atque Passionem totam pretiosissimam pro me præsento. Recurro etiam ad potentissimam intercessionem Matris Dei Virginis sanctissimæ, nec non sanctorum tuorum, præcipuè Patronorum meorum.

Denique projicio me in abyssum infinitæ Bonitatis tuæ ô Clementissime Deus, & habeo spem firmam & immutabilem: quia mihi peccata dimittes, & ad Vitam æternam perduces; sic, ut etiamsi in foribus inferni constitutus essem, de Misericordia Dei nunquam desperabo; neque ullis

nllis terroribus, & minis diabolicis respectu peccatorum meorum terreri me permittam.

Actus Amoris Dei.

O Deus Essentia incomprehensibilis, O sapientia investigabilis O pulchritudo increata inconceptibilis, Fons infinitæ bonitatis, ex quo abundè cunctæ hauriunt Creaturæ; & quidquid habent, inde omnes accipiunt. O quanto dignus es amore ab omnibus creaturis? ô quam te rationalis Creatura præsertim homo diligere debet? Igitur ego te ex toto corde meo, ex totis viribus meis, ex tota anima mea diligo Deum meum. Ex intimo affectu gratulor tibi hoc, & ex corde lætor inde: quod sis infinitæ potentiæ, sapientiæ, pulchritudinis; quod sis immutabilis, æternus, incorruptibilis, bonus, misericors, sanctus, justus immensus, incomprehensibilis, in ulla perperfectione finem non habens.

Gratulor tibi hoc: quod tu ipse à te, & non ab aliquo alio habes talem potentiam gloriam & dominium super nos, & omnem

Crea-

Creaturam; quæ ut te honoret, laudet, glorificet, diligat tanquam Creatorem, & Dominũ suum optimum, toto corde opto. Et ex hoc, quod te Creaturæ omnes sufficienter nequeunt laudare, amare, infinito honore & amore dignum, vehementer gaudeo. Et quia amor meus nihil est respectui Tui, summi Boni & infiniti; tunc te tam intensè, & perfectè desidero amare, sicut te dliexerunt, & diligunt in æternum omnes sancti homines & Angeli, inimo sic: sicut tu te ipsum infinito amore diligis; & hunc tibi amorem, sicut tibi debitum tribuo. Tali amore semper diligam te, etiamsi mihi in hac vita, & post mortem nihil boni præstares: immo etiamsi omnes adversitates, & calamitates in me permitteres; denique etiamsi me in æternas Inferni pœnas damnares, diligere te Benefactorem & summum Bonum non desistam. Et quia Dulcissime Deus præcepisti me diligere proximum meum, gratias ago pro tam dulci mandato: & ideo flecto voluntatem meam ad hoc, ut secundum volun-

tatem tuam, eum diligam: Ergo illum licet inimicum meum maximum sincerè & intimè diligo; eidem omnes injurias ab eo mihi factas, ex corde dimitto. Cuilibet res necessarias, à peccatis resipiscentiam, gratiam tuam, & æternam salutem sincerè opto; & ex hoc, quod proximus meus hæc obtineat, valde lætor.

Actus Adorationis Dei.

O Deus infinitæ Majestatis & Magnificentiæ Trinitas sanctissima, Pater, Fili & Spiritus Sancte; ecce ego cum maxima quâ possum submissione, & humilitate, cadens in faciem coram Divina tua majestate confiteor me esse tuam Creaturam, & opus manuum tuarum. Te autem agnosco Deũ Creatorem, & Dominum meum proprium, cui debeo, servire, & sanctam tuam voluntatem facere. Pro tali Domino, ut te omnes homines habeant, intimè opto: nunc autem te Deum, Creatorem, Redemptorem, & Dominum infinitæ Majestatis, servus & mancipium tuum adoro; omnem tibi honorem, & debitam subditionem tribuo; in-

invocans omnes Creaturas in Cœlo & in terra, ut te mecum adorent, honorent; à quibus quidquid honoris & adorationis habuisti, habes, & habebis inæternum, hunc ego honorem & adorationem, tibi nunc, & semper exhibeo atque offero.

Actus Laudis Divinæ.

O Deus Gloriosissime, sicut diligere, sic & laudare te summè obligatus sum; nam hoc postulat infinita Majestas tua, infinita Præstantia, infinita Dignitas, Magnificentia & Omnipotentia tua. Igitur ego te Deum meum, qui es Principium & finis, omnem possibilem, & infinitam perfectionem in se perfectissimé continens, ex totis viribus meis magnifico, laudo, exalto, benedico: & hoc desidero, ut te semper in omni loco possem laudare, honorare, benedicere, sicut te laudant honorant, benedicunt; & honorabant, laudabant, benedicent omnes sancti in æternum; animo sicut te potuerunt, possunt, & poterint laudare, honorare, benedicere omnes actuales & possibiles Creaturæ.

Deſidero tibi tantum laudis tribuere, quantum laudis habes à Virgine & Matre Glorioſisſima Maria, ab Humanitate ſanctisſima Chriſti, denique à Te ipſo Deo, in infinita laude ab æterno exiſtente. Gaudeo ineffabiliter ex hoc: quod te neque ſancti omnes homines, neque Angeli, neq; infinitorum Mundorum Creaturæ ſufficienter laudare valeant; nam cunctas laudes creatas, dignitate, præſtantia, Majeſtate, atque infinitis perfectionibus ſuperas, infinita laude dignus. Hanc ego tibi promptisſimè tribuo. Sis Laudabilis & Glorioſus & ſuperexaltatus in ſecula.

Actus Gratiarum actionis Deo.

O Deus Pientisſime, ſi multum debeo parentibus, qui me genuerunt, Præceptoribus qui me docuerunt, & cuilibet qui mihi benefecit; quid ego tibi ô largisſime fons bonitatis debeo, qui me ex nihilo feciſti, qui mihi parentes dediſti, imagine me tua inſigniviſti, omnia tam in terra, quam in Cœlo propter me creaſti, me tuo ſanguine & vita inæſtimabili redemiſti; per

totam

totam vitam meam nutrivisti, tanquam pupillam oculi custodisti; in manibus tuis & Angelorum portâsti; & alia innumera, inæstimabilia beneficia mihi præstitisti. Quid tibi pro his omnibus rependam ô Bonitas Divina? Quomodo tibi regratificabo? Gratias tibi quantum possum ago. Et quia tibi dignas gratias agere nequeo, invoco Christum Jesum, Matrem suam sanctissimam, nec non Creaturas omnes, tam visibiles, quam invisibiles, actuales & possibiles; quatenus mecum Tibi Deo pientissimo & Liberalissimo pro his Beneficiis gratias agant: & nunc quoq; gratiarum actiones, quas habuisti, habes & habebis, ab hominibus in terris, à sanctis in Cœlis, ab Angelis à Virgine & Matre sanctissima, ab ipso Christo Domino nostro, qui tibi in quantum homo, pro beneficiis mundo præstitis gratias reddit; denique gratiarum actiones quas potes habere à cunctis creaturis tam actualibus, quam possibilibus; has omnes cum omni gratitudine tibi offero & tribuo. Et quia

ſum tibi pro Beneficiis ad regratificandum obligatisſimus, tunc me tibi ipſum, in ſervum & mancipium, ad faciendam ſanctisſimam voluntatem tuam, nec non ad laudandam Bonitatem tuam ineffabilem, plenisſimè offero.

Actus Oblationis pro omiſſis functionibus à ſervo peragendis.

Deus miſericordisſime, ego deplorandus homo & tuus malus ſervus, vivens in hoc mundo, multis fui obſtrictus obligationibus: nam debui declinare à malo; & facere bonum imitando virtutes tuas Domine Jeſu, & ſanctisſimæ tuæ Matris. Debui diligere, & tuam ſanctam voluntaiem facere; Pasſionem Salvatoris mei conſiderare, & ei pro me paſſo ſummè condolere. Ego autem contrarium feci: nam bona opera intermittebam virtutes ſanctas negligebam, te Deum non diligebam, voluntati tuæ non obtemperabam, Pasſionis ſanctisſimæ non recordabar; nec Redemptori meo in tormentis compatiebar. Pro quibus omnibus dolens piisſime Deus Pater,

Pater, offero tibi hoc, quod tibi gratum & placitum spero pro eo quod te Deum bonum offenderim, offero dolores injurias, contemptus, proba, irrisiones, blasphemias, plagas horrendas, vibices, livores, tumores, vulnera, sanguinem effusum, denique crudelissimam & ignominiosissimam mortem unigeniti Filii tui Domini mei Jesu Christi, & hoc totum quod per totam Vitam suam passus & pro eo quod bona opera intermiserim, offero tibi omnes actiones, tibi gratissimas & acceptissimas ejusdem Filii tui, omnes ejus virtutes, omnia merita; similiter & Matris ejus sanctissimæ atque omnium sanctorum qui tanta bona opera fecerunt, faciunt, & facient, uniens hæc omnia, quæcunque tibi offerre possum, cum actibus, virtutibus, meritis & passione Filii tui & Redemptoris mei. Pro eo quod Passionem salvatoris mei devotè meditatus non fuerim, nec ipsi compassus fuerim, offero tibi dolorosas meditationes ineffabilem tristitiam, amarissimas lacrymas, sacratissimæ Matris Jesu,

Jesu, videntis. & postea meditantis Passionem Filii sui. Offero tibi quoque omnes meditationes, actus, compassiones, dolores, amores, fletus Sancti Francisci super Passione Christi; & aliorum Justorum & sanctorum, qui hîc vixerunt, vivunt & vivent: horum omnium sanctas cogitationes, affectus pios & actus, bona opera, nec non Sacro Sancta sacrificia, pro me nudo & vacuo bonis operibus, tibi offero.

Denique, habeam intellectum & Voluntatem atque alias potentias internas & externas omnium hominum, vivorum & mortuorum, sanctorum & damnatorum; Angelorum, bonorum & Malorum; denique omnium Creaturarum, non tantum quæ fuerunt sunt & erunt, sed etiam quæ sunt possibiles: harum omnium vires converto ad te Deum laudandum, honorandum, magnificandum, benedicendum, diligendum; & ad omnes actus pios & sanctos, quibus te laudare, honorare, adorare, glorificare, benedicere, amare, tibique placére ac mereri possunt cunctæ creaturæ.

Hos

Hos omnes actus libenter vellem Deus meus elicere innumerè & infinities. Suscipe ergo ô Bonitas infinita voluntatem meam, & affectum meum erga te, & æstima pro ipsis bonis operibus.

ACTIO VIII.

Æger eosdem actus præmissa Fide Catholica breviter elicet.

CRedo in Deum in Trinitate Sancta Unum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Confiteor Patrem esse Deum & Filium esse Deum & Spiritum Sanctum esse Deum, Unicum Dominum, & tres in Deitate Personas Patrem Filium & Spiritum S.

Credo in Filium Dei Christum Jesum Redemptorem meum. Confiteor quia ille sicut est verus Deus ex Patre ab æterno genitus. Sic etiam est homo ex Matre Virgine Maria in tempore natus Carnem & animam habens, in duabus Naturis una Persona existens.

Credo & confiteor in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verum corpus & Sanguinem Salvatoris mei & ipsum Christum

ſtum Jeſum Deum & Hominem nobis hominibus datum in cibum Spiritualem.

Credo denique & confiteor ea omnia quæcunque Sancta Eccleſia Romana cum Supremo Paſtore ſuo credit & nobis credendum & confitendum tradit. In hac fide ſemper vivere & mori deſidero. Hanc Solam fidem pro vera agnoſco alias omnes Sectas Hæreticas damno & rejicio.

Profitendo hanc fidem ô mi Deus bone diligo te ſuper omnia ex toto corde meo ex totis viribus meis ex tota anima mea tanquam ſupremum & infinitum bonum & benefactorem meum omni amore digniſſimum & diligere volo in æternum quantum poſſum & debeo quinimo ſicut te ipſum diligis amore infinito.

Gratias tibi ago pro omnibus beneficiis tuis tam Spiritualibus quam corporalibus mihi in communi cum aliis & in particulari factis & præſtitis.

Adoro te reddoque tibi gloriam & honorem cum Sanctis Angelis & hominibus nec non cum omnibus creaturis quæ quia

te

te ſufficienter laudare non poſſunt, indè lætor & hoc tibi gratulor.

Et quia te Creatorem Redemptorem & Benefactorem meum tam magnum ac Patrem amabilisſimum gravibus peccatis meis toties offendi, ex toto corde meo doleo non pœnam ſive æternam ſive temporalem formidans, ſed te dulcisſimnm Patrem ſincerisſimè amans atque ampliùs offendere nolo & ſtatuo abominans & rejiciens omnem iniquitatem.

Confido & habeo ſpem firmam de gratia tua & remisſione peccatorum meorum propter quod projicio me in abyſſum Miſericordiæ tuæ divinæ atque immergo me in mare Sanctisſimæ Pasſionis tuæ, fugioq; ad ſacratisſima vulnera tua pretioſisſima ſicut & omnia merita vitæ tuæ & ſanctisſimæ Matris tuæ necnon omnium ſanctorum in cœlo & in terra viventium, & in ſatisfactionem pro peccatis meis offero.

Et quia tu miſericordisſime Jeſu inimicis & Occiſoribus tuis dimittebas & pro illis ad Deum Patrem tuum orabas tunc & ego

ex

ex corde dimitto omnes injurias meas propter te & amorem tuum omnibus inimicis & debitoribus meis qui me aliquando licet gravissimè læserunt & offenderunt. Et rogo te Deum Redemptorem meum ut sis ipsis propitius & dones illis singularem gratiam pro hoc quia me odio habuerunt & in aliquo nocuerunt, me persecuti sunt. Et quia ego dimitto tu quoque Benignissime Domine dimitte mihi offensas tuas & peccata mea. Tu enim dixisti & promisisti, Dimittite dimittetur vobis

Deus propitius esto Mihi Peccatori

ACTIO IX.

Æger Religiosus pœnitet de non servatis Votis solemnibus.

De non Servata Obedientia.

DOleo Domine Deus ex toto corde meo quod Obedientiam tibi & superioribus meis promissam prout debui non servaverim.

Agnosco Domine Deus me Voluntatem meam plenè & perfectè non abnegâsse, me paratum semper ad facienda mandata su-

ſuperiorum non fuiſſe, imo neglecta ſuperiorum Voluntate meam propriam ſecutum fuiſſe, atque ſuperioribus meis toties non obedivisse & reluctâſſe de quo Doleo & pœnitentiam ago.

Confiteor Domine Deus me juſſa ſuperiorum flocci pendiſſe, aliquando irriſiſſe reprehendiſſe, me ab impletione Voluntatis eorum futiliter excuſâſſe. Pro quo doleo & pœnitentiam ago. Agnoſco Domine Deus meus me ſuperioribus meis non libenter, non alacriter, non velociter, non fortiter, non humiliter obediiſſe ſed illibenter, amarè, cunctanter, ſegniter, remiſſè & fere coactè juſſa eorum feciſſe. De quo doleo & pœnitentiam ago.

Confiteor Domine Deus illa mandata quæ naturæ & ſenſualitati ac timori meo arridebant, me alacriter ſuſcepiſſe, quæ verò illis adverſabantur magna cum repugnantia indignatione & quærimonia ad miſiſſe, pro quo doleo & pœnitentiam ago.

Propono & promitto Domine Deus reliquo tempore quo ſupervixero facere volun-

luntatem cujuslibet superioris mei ad cujus mandatum paratus sum etiam mori, meque tuæ sanctissimæ Voluntati plenissimè resigno, sive me vis morbis affici, sive sanum esse sive vivere sive mori, Fiat Voluntas tua.

De non Servata Paupertate.

Doleo Domine Deus quod paupertatem tibi promissam non servaverim.

Confiteor Domine Deus me toto corde & affectu à terrenis rebus alienatum non fuisse. Sæpiùs me rebus curiosis & apparentibus adhæsisse easque affectâsse. Pro quo doleo & Pœnitentiam ago.

Agnosco Domine Deus me his rebus quæ ad modestum victum & amictum pertinebant contentum non fuisse, superflua à me non abjecisse, pretiosioribus vestibus ad ostensionem mundanam usum fuisse, & inde tumuisse. Quod lachrymis deploro & pœnitentiam ago.

Agnosco Domine Deus me sæpiùs sine licentia superioris aliqua recepisse, aliis dedisse contra Voluntatem superioris habuisse

buiſſe ab oculis ejus ocultaſſe. Pro quo doleo & pœnitentiam ago.

Confiteor Domine Deus vilitatem ciborum faſtidiiſſe defectum & penuriam in victu & amictu patienter non toleráſſe ob amiſſam vel ſurreptam rem etiam modicam turbatum fuiſſe nimis, pro congregandis cibariis aliisq; neceſſariis nimium ſollicitum fuiſſe atque aliquando lautiùs vixiſſe aliosque tractaſſe; De quo doleo & pœnitentiam ago.

Promitto & propono Domine Deus per reſiduum tempus paupertatem promiſſam ſervare. Et nunc ex proprio me totaliter ac quidquid habeam in veſtibus & utenſilibus in manus ſuperioris reſigno & trado pauper & nudus cum paupere & nudo Chriſto volo mori cujus paupertatem & nuditatem pro transgresſione paupertatis meæ ei pœnitens offero.

De non Cuſtodita Caſtitate.

Doleo Domine Deus quod caſtitatem mundisſimã & tibi promiſſam non cuſtodiverim ſed toties contra eam tam cogitatione Verbo & opere deliquerim. A-

Agnoſco Domine Deus me cogitationibus inhoneſtis ſegniter reſtitiſſe & aliquando proch dolor oblectatum fuiſſe & ſic templum Deo conſecratum maculâſſe & prophanâſſe. Pro quo doleo & pœnitentiam ago.

Confiteor Domine Deus me appetitum ſenſuum non refrænaſſe oculos periculoſè vagari permiſiſſe, aures verbis & cantilenis illecebroſis aperuiſſe, verba æquivoca turpem ſenſum redolentia & aliquando inhoneſta ac turpia locutum fuiſſe. De quo doleo & pœnitentiam ago.

Agnoſco Domine Deus me ſuperfluis cibis & calidis poculis carnem meam toties inflammâſſe ac in illa concupiſcentias & prava deſideria excitâſſe atq; me toties à ſenſuum execrabili voluptate ad inordinatos & prævaricationis plenos actus ſeductum & adductum fuiſſe. Pro quo maximè doleo & pœnitentiam ago.

Propono Domine Deus potiùs centies millies mori, quam aliqua carnis ſpurcitia fœdari. Et pro transgresſione mea com-

miſſa

commiſſa contra caſtitatem offero tibi Domine Jeſu tuam ſanctisſimam tuæque Matris intemeratam Virginitatem, caſtitatem, puritatem; Tu amabilisſime & miſericordisſime Jeſu reſpice meam infirmitatem, parce ſtultitiæ, ignoſce malitiæ Amē.

DEUS Propitius eſto mihi Peccatori. O Jeſu per illam omnem amaritudinem quam ſuſtinuiſti in cruce. Et per dolores ſanctisſimæ Matris tuæ Miſerere mei.

ACTIO X.

Infirmus Teſtamentum pium conficit.

DOmine meus, Deus piisſime, moriarne, an conſurgam ex hac mea infirmitate? neſcio, tu ſcis Domine, in cujus manu ſunt Mors & Vita. Verùm tamen ſive moriturus modò, ſive victurus quàm diutisſimè, etiamſi ad ipſum judicii diem, hanc ultimam & immutabilem habeo voluntatem; atque tale coram te Deo meo conficio teſtamentum. De Bonis internis quæ à te accepi, ſcilicet de Anima & Corpore ſic diſpono. Animam à te Domine Jeſu creatam, & tuo pretioſisſimo ſanguine redemptam, trado tibi in dilectisſimam ſponſam: qua-

tenus cum ea, & in ea, cum Patre & Spiritu S. ſemper maneas & habites. Intellectum meum deſtino ad cogitationes ſanctas, præſertim ad cognoſcendum te infinitè bonum, pium, Miſericordem, ſanctum, juſtum, liberalem, pulchrum, magnum, omnipotentem, in omnibus mirabilem. Memoriam tibi do, ad recolenda innumera & inæſtimabilia Beneficia tua mihi à te conceſſa. Voluntatem meam tibi ordino, ad execrandum peccatum, ad amandum te ex totis viribus meis & ad parendum ſanctiſſimæ voluntati tuæ.

Corpus meum offero tibi ut jumentum tuum ad exequenda mandata tua; ad ferenda flagella pœnitentiæ meæ, & ad ſuſtinenda onera diverſarum afflictionum per te mihi infligendarum. Oculos meos converto ad fletum pro peccatis meis, & ſuper ſanctiſſima Paſſione Domini mei Jeſu Chriſti; atque ad videndum te in Creaturis; Aures ad excipiendam vocem & Voluntatem tuam in prædicatoribus, Confeſſariis, & prælatis meis; Os & linguam ad te laudandum & benedicendum ſemper & ubi-

que;

que; manus meas ad facienda opera bona; pedes ad ambulandum in viis mandatorum tuorum, & ad ſubveniendum miſeris, quibus potero. Quæ omnia diligenter exequi volo, quamdiu mihi vivere in mundo conceſſeris.

Abrenuntio omnibus mundi pompis, vanæ gloriæ, pulchris & pretioſis ornatibus, conviviis, ludis, jocis, riſibus, muſicis & cantilenis carnalibus, ſcurilitatibus, ſolatiis & recreationibus ac occaſionibus quibus poteſt caro tentari, allici & delectari; & ſpiritus impediri atque inquinari. Horreo & abominor omne quod tibi diſplicet. Execror illicitam carnis, & cujuslibet peccati voluptatem. Relinquo omnia mundana & vana. Te verò hodie eligo mihi in Deum, ſummum bonum, & ultimum finem meum, protetorem meum in gubernatorem vitæ meæ, in proviſorem necesſitatum mearum, in conſolatorem meum in omnibus doloribus anguſtiis ac tentationibus atque laboribus meis. Tu refugium meum, tu domus mea, tu civitas mea, tu habitatio mea. Tu cibus meus, tu

potus meus, tu requies & refectio mea. Tu socius dilectus, tu intimus amicus, tu cognatus & proximus, tu frater & soror, tu Pater & Patronus. Tu Custos totius vitæ meæ, cui me & omnia mea fideliter commendo: quia non est salus extra te, nec tuta vita absque te. Fiat ergo misericordia tua Domine super me, & gratia tua in omnibus comitetur mecum; sitq; oculus tuus super me die ac nocte; & manus tua protegat me semper à dextris & à sinistris. ac recto itinere me perducere digneris in domum habitationis gloriæ tuæ, ubi te laudare merear sine fine.

Inimicis meis omnihus Pientissime Jesu sicut tu in cruce ignovisti, ita & ego ignosco, ac omnes offensas e sdem condono, atque pro illis rogo: non solùm ut injurias meas super eis non vindices, sed etiam ut specialem eis gratiam pro mei persecutione tribuas. Amo enim illos, non ut inimicos & mihi noxios, sed ut maximos amicos & benefactores meos; ut pote qui odio ac afflictione mei, peccata mea in me puniverunt, pœnitentiam me pro pec-

peccatis agere fecerunt, atque mihi tuam gratiam, & Cœleſtia bona comparârunt.

Proteſtor Dulcisſime Domine DEUS meus coram te, & Angelis tuis atque cunctis Creaturis: quia mori volo & deſidero in gremio & fide S. Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ: quia doleo ſummè pro peccatis meis; & ampliùs in æternum peccare, & te Deum piisſimum offendere nolo: quia amo te amore omniposſibili, & gaudeo maximè de omnibus bonis tuis eaque ſibi opto; ita ut ſi per imposſibile tua infinita Eſſentiâ, Omnipotentiâ, Gloriâ Felicitate, Majeſtate, Beatitudine deberes carere; ego ut hæc non acciderent tibi, pœnas Luciperi, & omnium damnatorum in æternum pati paratus ſim. Et hæc eſt voluntas mea ultima, firmisſima, & teſtamentum meum, quod à te Deus meus, & tota Curia cœleſti confirmari & roborari poſtulo.

Teſtamentum de Temporalibus.

Finiens dies vitæ meæ ego N. N. finio quoque opera mea; inter quæ etiam & hoc eſt ſingulare opus homini Chriſtiano

conveniens: ut ille non tantùm ut est ratione præditus, sed etiam ut est timens Deum, pia ultima voluntate, & discreta domus suæ dispositione cursum vitæ hujus terminet ad laudem Domino Deo, Animæ suæ utilitatem, vivis posteris ad contentationem. Voluntas igitur mea ultima, cum qua coram vobis omnibus præsentibus protestor, est hæc.

1mò. Quia in gremio S. Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ mori desidero. Credo in Deum Trinum & unum, Patrem, Filium & Spiritum S. Confiteor Dominum Jesum Christum Salvatorem meum, Credo omnia, quæ credit S. Ecclesia Catholica Romana.

2do. Animam meam trado & commendo Domino Deo, quam ille creavit, & passione sua pretiosissima redemit. Ad cujus in purgatorio existentis juvamen relinquo pro sacris Missis ad Ecclesiam N. vel ad Monasterium N. florenos &c.

3tio. Corpus meum commendo terræ, quod volo sepeliri in Ecclesia N. Ad cujus Ecclesiæ contentationem & subsidium,

lego florenos tot &c. Funus meum fiat Christianum modestum sine pompa mundana. In eo adsint quam plurimi sacerdotes & pauperes.

4to Debita mea recognosco. Debeo huic N. florenos tot &c. & illi N. florenos tot &c. Ad quorum debitorum solutionem relinquo flore tot. Famulis & famulabus debeo hoc & illud &c.

5to. Uxorem, Liberos & Consanguineos relinquo sic & sic &c.

6to. Executores Testamenti eligo & designo ipsos: N. N. Quos obnixè rogo, & tremendo judicio obstringo, ut voluntati meæ ultimæ in omnibus satisfaciant.

7mo. Ad Ecclesiam N. Ad Monasterium N. pro Laude & Honore Dei, atque suffragio animæ meæ lego & depono hoc & hoc &c. Volo ut pro mea pecunia comparetur ad Missæ sacrificium calix, vel planeta, vel Alba, vel mappa pro Altari &c.

ACTIO XI.

Servus æger resignat se in Voluntatem Domini, paratus tam mori, quam vivere.

 O Dul-

O Dulcisſime Domine Pater Miſericordiarum, Domine Jeſu, neque vitam neque mortem, ſed tuum beneplacitum deſidero; hoc expecto, fiat mihi ſecundum voluntatem tuam, ſi non poteſt calix iſte infirmitatis & dolorum meorum tranſire niſi bibam illum, & epotem usque ad feces mortis, fiat. Dominus es, quod bonum eſt, in oculis tuis, facias. Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo & in terra, ſcilicet in me pulvere tuo. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: mori, & finire hanc miſeram vitam. Tu Miſericordisſime Conditor, & Redemptor meus, ſuſcipe ſpiritum meum. Et licet ad veſperam novisſimus ad laborandum venerim, da mihi tamen denarium diurnum æternæ gloriæ, ut tecum & in te requiem accipiam ſempiternam, quia bonus, & nimis largus es. Si vero Amabilisſime Jeſu vis, ut diutiùs vivam, propono per gratiam tuam, (quam firmiter peto) reliquum vitæ meæ in melius commutare, & corrigere, ac in ſervitio tuo fideliter inſumere, ſecundùm beneplacitum tuum, ad honorem & gloriam tuam.

ACTIO

ACTIO XII.

Æger implorat à Domino patientiam in infirmitate.

BEnedictus ſis tu Domine Jeſu, qui me infirmari, & doloribus concuti permittis. Tu ergo qui percutis, da ſuſtinendi fortitudinem; & qui exteriùs flagellas, da interiùs micam ineffabilis patientiæ tuæ, quam habuiſti in tota vita, & præſertim in Paſſione & morte tua: da ut æquo animo, non ſolum ſuavia, ſed etiam adverſa & triſtia quæque, tanquam de manu tua paterna libenter hilariterque ſuſcipiam. Da ergo mihi Domine (rogo cum S. Fulgentio) modo patientiam, & poſtea indulgentiam. Patientiam ô Domine, patientiam, poſtea da indulgentiam.

ACTIO XIII.

Infirmus appellat ab judicio Domini ſui, poſt mortem futuro.

SCio Miſericordisſime pariter & Juſtisſime Domine dixiſſe tuum Apoſtolum: ſi nos ipſi dijudicaremus, non utique jùdicaremur. Et ego quidem peccata mea

confitendo me judicavi & condemnavi; & sic obtinui syngraphe quietativum absolutionis à peccatis quoad culpam. Verùm tamen per hoc non effugi judicium tuum Justitiæ tuæ severissimæ, injurias & offensas à me tibi illatas vindicare, & me gravissimè punire volentis. Quid ergo miser faciam? scio quid faciam? provoco & appello. Sed à quo & ad quem? Appello à te, ad te ipsum. Appello à te irato, ad te placatum. Appello à tribunali Justitiæ, ad tribunal Misericordiæ. Apello à throno Majestatis, ad thronum Crucis. Ibi me quia judicari oportet, illuc recurro, illuc confugio. Ibi amplectens tuos sanctissimos pedes dico cum S. Bernardo.

Dulcis Jesu pie Deus,
Ad te clamo licet reus.
Præbe mihi te benignum.
Ne repellas me indignum.
De tuis sanctis pedibus.

Coram Cruce procumbentem,
Hosque pedes complectentem
Jesu bone ne me spernas,
Sed de cruce sancta cernas.
Compassionis gratia.

In hac cruce ſtans direecte.
Vide me ô mi dilecte,
Ad te totum me converte.
Eſto ſanus, dic apertè.
Dimitto tibi omnia.

Ecce tuo præ amore.
Te complector cum rubore.
Me coapto diligenter.
Tu ſcis cauſam evidenter.
Sed ſuffer & disſimula.

Hoc quod ago non te gravet,
Sed me ſanet & me lavet.
Inquinatum & ægrotum,
Sanguis fluens hîc per totum
Ut non ſuperſit macula.

Non diffido, ſed multum confido cauſæ meæ: nam ecce tibi ô bone Domine præſento duplicem legem ſcriptam pro me. Primam: Ubera dulcisſima ſanctisſimæ Matris tuæ. Scio enim canente tuo dilecto ſervo quod: *Liber legis ſit pectus niveum,*
Et cum legit hunc os Virgineum.
Mox horroris Judex aculeum
Juſtè frangit, & facit melleum.

 Hanc

Hunc in librum & legem ô Fili Dei & Mariæ inſpice & lege; ac propter ubera dulcisſimæ Matris tuæ, quæ contra venenum peccatorum noſtrorum quam dulciter ſuxiſti, obliviſcere delictorum meorum, & Miſerere mei.

Alium quoque librum & legem in eodem toto libro pro me ſcriptam, tibi oſtendo, ſcilicet: Carnem tuam ſanctisſimam in Cruce appenſam, totam vibicibus, livoribus, plagis vulneribus, doloribus plenam, & ſanguine circumfuſam. Clamat clavus, clamat vulnus pro me. Tot pro me ora, quot tua vulnera. Tot pro me oratores, & defenſores, quot livores & dolores. Quot ſunt tua tormenta, tot pro mea ſalute argumenta Sanguis tuus innocentisſime Abel copioſisſimè effuſus, clamat de terra, non contra me, ſed pro me. Lege ô Jeſu piisſime Redemptor meus, hunc totum librum; Pondera legem; audi voces validisſimas pro me: & non intres in judicium cum ſervo tuo; ſed ſecundum multitudinem Miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

Adeſt quidem infelix chirographum quo me hoſti meo, diabolo inſcripſi. Adeſt maledictus contractus, quo pro voluptate momentanea peccati, Animam meam, Gratiam tuam, Gloriam Cœleſtem, deniq; Te ipſum, ſummum Bonum, Deum optimum, toties vendidi & perdidi. Et dum me tantis Bonis exhæredavi, factus ſum hæres inferni, filius damnationis & perditionis æternæ cum dæmonibus. Verum tu Miſericordisſime Salvator & liberator, qui ſicut univerſale totius generis humani ſimile chirographum cruci tuæ affixiſti, & illud ſanguine tuo deleviſti: ita meum chirographum Cruci tuæ affige, & pretioſisſimo ſanguine tuo, qui fluit de latere tuo, & omnibus Vulneribus tuis dele, & ſcripturam maledictam peccatorum abſterge. Et abſolve me ſicut à culpa, ita & à pœna peccatis debita, propter gravisſimas pœnas tuas, quas pro ſalute mea pertuliſti.

ACTIO XIV.

Æger, membra ſacratiſſima Domini ſui Crucifixi, oſculans & adorans, rogat Virtute illorum tolli peccata membrorum ſuorum.

Plissimus Salvator noster Dominus Jesus propterea in omnibus membris suis passus est, ut omnibus membris nostris infirmis mederetur, & tolleret peccata membrorum nostrorum, quibus Deum offendimus, ac pœnas gravissimas Justitiæ Divinæ promeruimus. Propterea servus æger recurrat ad membra sacratissima Christi, in quibus ille gravissimè passus est. Atque accepta lignea cruce, & imagine sculpta Crucifixi, devotissimè membra Domini Jesu amplexetur ; & mente adorans ea, amorosissimè exosculetur, dicendo affectuosè ad quodliber singillatim:

Ad pedes.

O Speciosi pedes Domini mei Jesu Christi, qui grossis ac horrendis duobus clavis transfixi fuistis, & pretiosum sanguinem in magna quantitate emisistis: adoro vos reverenter, & osculor diligenter, petens mihi dimitti, quidquid stando vel ambulando deliqui.

Ad Crura & Genua

O decora Crura, & humilia genua Domini mei Jesu Christi, sæpè in oratione,

ſuper nudam terram incurvata & proſtrata jacuiſtis, & in Paſſione nutantia, & multùm gravata fuiſtis: adoro vos humiliter, & oſculor ſuppliciter, rogans mihi propitius ignoſci, quoties in Dei ſervitio piger & indevotus extiti.

Ad Ventrem.

O Sacer & incontaminatus Venter Domini mei Jeſu Chriſti, quem portavit & aluit Virginalis aula ſanctisſimæ Mariæ: qui multis verberibus fuiſti acerrimè percuſſus: adoro te dignanter, & oſculor compatienter. Supplicans mihi relaxari, quoties corpori meo, ampliorem quam neceſſitas exigebat curam impendi.

Ad Latus.

O dignisſimum latus Domini mei Jeſu Chriſti, in quo Divini amoris patet vulnus amplisſimè transforatum: adoro te præcipuè & oſculor perintimè, flagitans mihi veniam concedi, quoties charitatem fraternam læſi, & ab amore Cœleſti refrigui.

Ad Dorſum.

O patientisſimum dorſum Domini mei Jeſu Chriſti, quod promptum fuit portare

lignum

lignum Vitæ, & omnia peccatorum onera sine contradictione, perferens etiam durissimos ictus flagellorum: adoro te devotè, & osculor amarosè, orans mihi remitti, quoties minus patienter gravamina imminentia pertuli.

Ad manus.

Venerabiles manus Domini mei Jesu Christi, in Cruce longiùs extensæ, & ferreis grossis clavis perforatæ: adoro vos fideliter, & osculor dulciter, postulans in me abstergi, quidquid illicito actu, vel contactu perpetravi.

Ad Pectus.

O mundissimum pectus Domini mei Jesu Christi, in quo nulla peccati labes fuit, nec intrare potuit; super quod Beatus Joannes Apostolus in cœna recubuit, adoro te sincerè, & osculor affectuosè, deprecans in me purgari, quidquid sordida cogitatione contraxi.

Ad Collum.

O candidum collum Domini mei Jesu Christi, fame ac siti frequenter extenuatum, nunquam curiosè adornatum, nec in

altum

altum vanè extensum; sed humili reverentia Patri & Matri subjectum; quod in passione duriter fuit pugno percussum, fune & torque ferrea onustum: adoro te humiliter, & osculor amabiliter, orans mihi dimitti, quidquid ostentationis causa peregi.

Ad Faciem.

O inclyta & pulcherrima facies Domini mei Jesu Christi, plena omni dulcedine, & amicabili reverentia, turpiter à Judæis consputa, nequiter cæsa, jocaliter velata; adoro te reverener, & osculor affectanter, petens ut mihi indulgeas, quoties vultum tuæ serenitatis offendi.

Ad Os.

O suavissimum os Domini mei JESU Christi, à quo salutis verbum prodiit in mundum; quod Judæorum sputis extitit inquinatum, & aceti ac fellis poculo amaricatum: adoro te condignè, & osculor benignè, flagitans mihi ignosci, quoties edendo, bibendo aut loquendo deliqui.

Ad Aures.

O felices aures Domini mei Jesu Christi,

quas

quas nullius vanitatis aura perflavit; nec ullus ridiculosus sermo, aut injuriosus à statu rectitudinis permutavit: adoro vos honorabiliter, & osculor amabiliter, deprecans in me celeriùs aboleri, quidquid vanitatis hausi per illicitum auditum.

Ad Oculos.

O præclarissimi oculi Domini mei Jesu Christi, ab omni concupiscentia puri, & in mortis violentia obscurati; unde dulcis sæpè lacrymarum profluxit imber: adoro vos cordialiter, & osculor suaviter, obsecrans mihi indulgentiam concedi, pro omni macula ex visu nocivo quæsita.

Ad Caput.

O sublime ac reverendum Caput Domini mei Jesu Christi, habens acutissimam coronam, de spinis vertici impressam; cujus circumpendentes capilli sanguine defluente sunt intincti: adoro te cum Angelis & Potestatibus universis, & super omnia sacra Vulnerum loca, osculor te chariùs, ac deprecor instantiùs, ut ab omni peccatorum spinositate me absolvas, & in numero electorum tuorũ inter minima saltem membra computare digneris, Amen. A-

ACTIO XV.

Infirmus de thesauro Passionis Christi solvit debita peccatorum suorum.

Eheu dulcis Jesu, ego omni tempore vitæ meæ in te benignissimum Creatorem & Redemptorem meum ingratus fui, teq; graviter offendi, veteribus delictis nova semper acumulans. Gratiam tuam multis modis impedivi, & dona tua destruxi, non servans ea integra, neque ex eis dignè proficiens. Fateor prorsus quia indignus sum non solum filii, sed servi tui nomine. Verumtamen te Dominum & Patrem meum agnosco. Tu es bonus Dominus, & verus Pater meus; tu es tota fiducia mea; tu es fons miserationum inexhaustus, qui sordidos ad te confugientes, à te non repellis, sed abluis. Ecce ô suave refugium meum, ecce ego omnium Creaturarum peripsema venio ad te, nihil mecum adferens præter sarcinas peccatorum. Humiliter procido ad pedes pietatis tuæ, & imploro misericordiam tuam. Ignosce mihi obsecro ô spes mea certissima, & salva me propter Nomen tuum sanctum.

O Dul-

O Dulcis Jesu, ego in remissionem omnium peccatorum meorum, offero tibi stupendam illam charitatem, quâ tu Deus æternæ Majestatis, homo passibilis pro nobis fieri, & plus quam triginta annis inter multiplices labores, ærumnas atq; persecutiones fatigari non es dedignatus. Offero illum mærorem, illum sanguineum sudorem, illas angustias, quibus in horto afflictus fuisti, quando Patrem fixis in terra genibus orabas. Offero summum illud patiendi desiderium quo flagrabas quando teipsum inimicis tuis ultro obtulisti capiendum. Offero vincula verbera, improperia, convitia, blasphemias, alapas, colaphos, sputa, atque alia genera injuriarum, quas in domo Annæ, & domo Caiphæ, per totam noctem passus fuisti. Hæc tibi offero gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis me purifices, & placentem reddas, atque ad vitam æternam perducas.

O Dulcis Jesu, ego pro universis iniquitatibus meis, offero tibi inauditam illam ignominiam tuam quam sustinuisti, quan-

do

do cæſus, conſputus ac vinctus, mane ducebaris ad Pilatum; deinde à Pilato ad Herodem, rurſusque ab Herode ad Pilatum: Offero illud tuum ſanctum ſilentium, quo humiliter tacuiſti ad illatas contumelias & injurias. Offero contemptum tui, & ridiculæ veſtis probrum, quo ab Herode affectus fuiſti. Offero acerbisſimam illam pœnam, quam perpeſſus es, quando ad columnam ligatus dirisſimè flagellabaris. Offero ipſorum flagellorum ſulcos, & purpurei ſanguinis rivulos, è ſanctisſimis membris tuis, undique proſilientes. Hæc tibi offero gratias agens, rogansque immenſam pietatem tuam, ut horum meritis me purifices, & tibi placentem reddas, atq; ad vitam perducas æternam.

O Dulcis Jeſu, ego pro omnibus delictis meis offero tibi ineffabilem illam patientiam, quam habuiſti, quando veſte coccinea, in majus ludibrium indutus, ſpinis coronabaris, nugatoriè ſalutabaris, impiè cõſpuebaris, alapis & arundine cædebaris, ante tribunal ſtatuebaris, injuſtè damnabaris; demumque ad Calvariæ locum, crucem

ba-

bajulans ignominiosè trahebaris. Offero dolendam illam sacratissimi Corporis tui fatigationem, & laboriosos pedum tuorum gressus, atque humerorum tuorum gravissimam pressuram. Offero sudores, sitim & cætera omnia, quæ mitissimo, promptissimoque corde, mei causa tunc pertulisti. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis me purifices, & ad vitam perducas æternam.

O Dulcis Jesu, ego pro universis sceleribus meis, offero tibi atrocissimos illos dolores, quos passus es, quando sanctissimi Corporis tui vulnera vestimentorum detractione innovabantur: quando manus & pedes tui cruci affigebantur: quando membrorum tuorum compages solvebantur: quando pretiosus sanguis tuus è vulneribus tuis, velut è fontibus copiosè profluens fundebatur. Offero singulas rosei illius cruoris guttas. Offero inexplicabilem illam mansuetudinem, quâ iniquorum tibi insultantium proterviam patientissimè tolerasti. Hæc tibi offero gra-

tias

tias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis me purifices, & tibi placentem reddas, atq; ad vitam perducas æternam.

O Dulcis Jesu, ego pro universis culpis vanitatibus & negligentiis meis, offero tibi incomprehensibiles cruciatus illos, quos pertulisti, quando angustiis totus expositus, miserabiliter in Cruce pendebas, medius inter latrones; & quando vehementi siti æstuans, felle & aceto potabaris. Offero benignissimam illam misericordiam, quâ tu venerandum caput inclinans, pro nobis emisisti spiritum. Offero pretiosum illum sanguinem, & salutiferam illam aquam, quæ de latere tuo lancea transfosso effluxerunt. Hæc tibi offero gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis me purifices, & ad vitam æternam perducas.

O Dulcis Jesu, ego in perfectam remissionem omnium offensarum, quas in te quovis modo hactenus admissi, offero tibi totam Redemptionis nostræ seriem quam peregisti. Offero incarnationem, nativitatem,

tem, conversationem, Passionem ac mortem tuam. Offero quidquid in Gloriosissima Genitrice tua, Virgine Maria, & cæteris sanctis unquam tibi placuit. Eia suavissime Jesu, satisfaciat quæso pro peccatis meis, coram Patre tuo summa innocentia tua. Totam vitam meam nimis indignam ac sceleratam, purissima sindone meritorum tuorum involve, ut mea quæ immunda sunt tuis copulata mundentur; & quæ in me imperfecta sunt, tuis unita perficiantur. Ad laudem Nominis tui. Amen.

ACTIO XVI.

Ægrotus, haurit de fontibus salvatoris JesuChristi; & suas maculas abstergi curat.

Dilecte mi Jesu, rogo te per purissimas lacrymas, quæ ex beatissimis oculis tuis promanârunt, absterge omnes oculorum meorum maculas, quas per visûs incontinentiam contraxi: ut finito hujus vitæ curriculo, mente munda, tuam clarissimam, melitissimamque faciem contemplari merear.

Dilecte mi Jesu, rogo per Cœlestem venerabilium aurium tuarum pietatem, ablue

ablue omnem ſordidarum aurium mearum iniquitatem: ut in hora mortis meæ, ab auditione mala ſecurus, ad evocationem tuam libenter hinc emigrem; ut te ſummo ac unico Bono meo, in ſempiternum feliciter fruar.

Dilecte mi Jeſu, rogo te per ſinceriſſimam cogitationum tuarum intentionem, ardentemque transfixi cordis tui amorem, diſſolve omnium vitioſarum cogitationum & affectionum mearum, impurique cordis mei culpam. Ipſum cor tuum amore raptum, fiat mihi gratum in morte umbraculum; & poſt mortem ſit animæ meæ perenne domicilium.

Dilecte mi Jeſu, rogo te per dulcem, vividamque virtutem ſacratisſimorum verborum, quæ Divino ore tuo protuliſti, deterge omnem oris mei, & linguæ meæ ſpurcitiam atque offenſam, ut immaculatus poſt hoc exilium, ad te perveniens, tibi laudes in æternum cum gaudio decantem.

Dilecte mi Jeſu, rogo te per dolendam incontaminatorum pedum tuorum fatigationem, & terebrationem, condona

omnem pollutorum pedum meorum transgresſionem: ut ubi carnis ſarcinam depoſuero, ſtatim locum tabernaculi tui admirabilis, & thalamum tui amoris expeditus ingrediar, ibique perenniter in te exultem.

Dilecte mi Jeſu, rogo te per admirandam operum tuorum perfectionem, & patentia manuum tuarum vulnera, aufer omnem impiam manuum mearum fœditatem ac ſcelera: ut poſtquam defunctus fuero, illico in ſuavisſimos amplexus tuos, absque impedimento ruere merear.

Dilecte mi Jeſu, rogo te per totius vitæ tuæ venerandam innocentiam, dele totius vitæ meæ horrendam ſpurcitiam: ut poſtquam finita fuerit miſera hæc captivitas, totus mundus mox inveniar in te, qui es verus Paradiſus deliciarum: ubi torrente voluptatis tuæ inebriatus, jugiter cum jubilo, glorificem Nomen ſanctum tuum in æternum. Amen.

ACTIO XVII.

Æger recolitione pia de Jeſu Nato, Vivente, Patiente & moriente, omnia Animæ bona procurat.

Dul-

DUlcisſimus Salvator noſter Chriſtus Jeſus eſt theſaurus ſuorum Fidelium; nihil enim eſt in illo quod non cedat homini, ad conſequendam vitam & felicitatem æternam. Nihil Chriſtus gesſit, quod non ſit ordinatum ad levandam miſeriam & inopiam hominis, atque ad ſalutem æternam ipſius, dicente S. Paulo: *Cùm eſſet dives, propter nos egenus factus eſt, ut nos inopiâ ejus ditaremur.* De hoc theſauro ſancti Angeli acceperunt; & omnes homines Beati accipiunt, quidquid capiunt Spiritualis & æternæ felicitatis dicentes: *Omnes nos de plenitudine ejus accepimus.* Joan. I. Eſt Amabilisſimus Redemptor noſter vera Arbor vitæ in medio paradiſi Eccleſiæ conſtituta; tota homini vitalis & ſalutifera. Poma hujus arboris pretioſæ, quid ſunt niſi actus & geſta Domini Jeſu in tota ſua vita; quæ poma afferunt homini miſero vitam & beatitudinem æternam, ac ipſam Divinitatem. Servus ergo æger, miſer, pauper & infelix, ut posſit ſublevare ſuam miſeriam, & conſequi ultimam felicitatem, & vitam æternam, per peccatum amiſſam; accipiat

de hoc inæstimabili thesauro; sumat de fructu hujus Arboris saluciferæ piè de Christo Nato, Vivente, Patiente meditando; cum affectu laudis, benedictionis, gratiarum actionis prosequendo, atque pro suis necessariis ad salutem precando.

Recolitio Prima.

De Jesu Concepto & Nato.

Laudo & benedico te, gratiasque tibi ago Unice Fili Dei, pro illa tua immensa charitate & misericordia, per quam perdito generi humano succurrere, & hominem Salvare ab æterno voluisti. Et rogo quatenus misericordiam & gratiam tuam non auferas à me toto tempore vitæ meæ.

Laudo & benedico te, gratiasque tibi ago ô Proles Altissimi Dei, pro illo tuo de Cœlis in terram descensu in uterum Virginis. Et rogo: quatenus, descensus ille tuus faciat me in Cœlum ascendere.

Laudo & benedico te; gratiasque tibi ago ò Nate Dei, & verus Deus pro assumptione Naturæ humanæ, & mansione per novem menses in sacratissimo Virginis utero.

utero. Et rogo quatenus Humanitas tua Divinissima, assumat me ovem erraticam & perditam in humeros suos; & asportet in ovile gregis tui Cœlestis. Mansio illa tua in utero Matris, tanquam in paradiso, faciat me manere in paradiso gloriæ tuæ.

Laudo & benedico te, gratiasque tibi ago Dulcissime Jesu pro tua amabilissima & desideratissima Nativitate, & lætissimo in mundum adventu: pro pannis involutione: pro reclinatione in præsepio, ac Pastoribus & Magis tui manifestatione; pro tua illa dulcissima infantia. Et rogo dulcissime Jesu: quatenus Nativitas tua, faciat me tibi, cœloque renasci. Adventus tuus in mundum jucundissimus, faciat me in tuo secundo adventu terribili securum. Fasciæ & panniculi illi, quibus involutus fuisti, tegant & calefaciant me ac amore tui faciant ardere cor meum. Reclinatio tua in præsepio, donet mihi sydeream inter Cœlestes incolas sedem. Manifestatio tua facta hominibus, manifestet te mihi post mortem, ut te clarè facie ad faciem videam. Infantia tua, faciat me semper de te gau-

 dere,

dere, & te in æternum laudare & benedicere.

Recolitio 2da.

De Jesu in terris Vivente.

Laudo & benedico te, gratiasque tibi ago, ô Amator hominum Dulcissime Jesu pro tua nuditate cum qua natus apparuisti: pro tua paupertate, ita ut non haberes, ubi reclinares caput tuum: pro tua in oculis hominum vilitate. pro tua abjectione & humilitate, ut diceres de te: *Ego sum vermis & non homo:* Ps. 21. pro tuis incommodis quæ passus es per totam vitam tuam pro me: pro tuis jejuniis: pro nimia austeritate vitæ pro itineribus: pro laboribus & fatigationibus: pro fame & siti, pro me susceptis. Et rogo pretiosissime Jesu, quatenus nuditas tua, nudum cooperiat me. Paupertas tua pauperem ditet me. Vilitas tua, vilem coram Angelis & te, pretiosum reddat me. Abjectio & humiliatio tua, in Cœlesti curia exaltet me. Incommoda tua quæ passus es, præparent mihi commoda in Patria cœlesti, quibus fruar tecum in æternum. Jejunia tua faciant me cibis Cœlestibus

ſtibus veſci. Auſteritas tua det mihi deliciis æternis abundare. Itinera tua pro me confecta, introducant me in regnum tuum. Labores tui faciant me prœmio tuo frui, quod Angelis & hominibus meruiſti. Fatigationes tuæ, nunc & poſt mortem, in æternum reficiant, & recreent me. Fames tua ſatiet me de te, & epulis Cœleſtibus in æternum. Sitis tua potet me dulcedine tua, quâ omnes ſancti in Cœlo inebriantur ab ubertate Domûs tuæ.

Recolitia 3tia.

De Jeſu Euchariſtiam SS. inſtituente, in Horto orante, ibiq; ſe in poteſtatem hoſtium tradente.

LAudo & benedico te, gratiasque tibi ago Dulcisſime Jeſu, pro SS. Sacramentis, quæ pro ſalute noſtra inſtituiſti; & præcipuè pro Sanctisſimo Euchariſtiæ ſacramento, in quo tuum Corpus & Sanguinem, & te ipſum in cibum Cœleſtum nobis reliquiſti & dediſti. Et rogo miſericordisſime Jeſu, quatenus: Corpus tuum ſacratisſimum, vivificet, reficiat, roboret animam meam, ut cuſtodiat me in vitam æternam.

Laudo & benedico te, gratiasque tibi ago Amabilissime Jesu, pro illa tua prolixa oratione in horto facta: pro summa, eaq; mortifera tristitia: pro illo summo pavore ac tædio: pro utraque amarissima agonia: pro sudore sanguineo quo totus madefactus fuisti: pro tua arduissima obedientia, & in voluntatem Patris resignatione: pro tua immensa charitate, per quam mori potiùs crudelissimè, quàm me non redimere voluisti. Et rogo Dilectissime Jesu quatenus oratio tua illa impetret mihi vitæ emendationem, gratiam Dei, robur in tentationibus, & vitam æternam. Tristitia tua liberet me à tristitia æterna, & obtineat mihi lætitiam, quàm hîc habent justi, & in Cœlis Sancti.

Pavor tuus liberet me àpavore, in tuo tremendo judicio. Tædium tuum eripiat me à tædio pœnarum inferni & purgatorii. Agonia tua det mihi agonem lætum, ac felicem ex hac vita exitum. Obedientia tua tollat omnes inobedientias meas, & resistentias à me factas Divinæ voluntati, & superioribus meis.

Cha-

Charitas tua operiat totam multitudinem peccatorum meorum, & suppleat omnem defectum charitatis, quam habere debui erga Deum & proximum, sudor tuus sanguineus sit mihi pretiosissimum balsamum, contra infirmitates animæ meæ.

Laudo & benedico te, gratiasque tibi ago Dulcissime Jesu pro ignominiosissima tui comprehensione à militibus: ubi infinitæ Majestatis Deus, Rex regum, & Dominus dominantium, sanctus sanctorum, tanquam latro fuisti crudelissimè captivatus, clamoribus contemptivis impetitus, toties pugnis percussus, ad crines capitis & barbæ tractus, ad terram prostratus, genibus siccariorum pressus, funibus ligatus, torque ferrea oneratus; & sic violenter ad Urbem & per Urbem, cum tuo summo dishonore & pudore ductus.

Pro his omnibus te ô Jesu mi laudo & benedico, gratiasque tibi ago. Et rogo quatenus: potestas illa tenebrarum, in quam te spontaneè pro salute mea, ad tormenta & mortem tradidisti, eruat me à pote-

testate tenebrarum infernalium scilicet dæmonum, hostium meorum. Captivatio tua liberet me à captivatione cohortis tenebrarum. Funes tui solvant, & liberam faciant animam meam à funibus peccatorum, & Inferni satellitum. Ductus ille tuus ad urbem, præcludat mihi viam ad Infernum & purgatorium.

Recolitio 4ta.

De Jesu Judicibus præsentato, contempto, & accusato.

LAudo & benedico te, gratiasque tibi ago Dulcissime Jesu, pro ignominiosa tui statuitione coram tot judiciis tuis, pro sputis in faciem tuam pulcerrimam ex ore vipereo ejectis: pro tot horrendis alapis faciei tuæ sanctissimæ inflictis: pro velatione oculorum tuorum; & tui toties percussione, atque illusione: pro sententiis sacerdotum & Pharisæorum reum te mortis in domo Caiphæ prodamentium: pro carcere illo, in quo pernoctasti: pro pœnis quos ibi tota nocte pro me passus es. Et rogo patientissime Jesu quatenus statuitio illa tui coram judicibus, statuat me à dex-

tris

tris in extremo judicio tuo; & priùs post mortem statuas me per SS. Angelos tuos, coram te non irato, sed placato & benignissimo mei judice. Sputa illa fœtida in tuam faciem projecta ornent & decorent faciem animæ meæ. Alapæ tuæ, dent animæ meæ roseas genas, ut sit pulchra & decora, atque oculis tuis gratissima.

Velatio oculorum tuorum obumbret peccata mea ne videantur ab Justitia tua Divina, ac severè puniantur. Percussio & illusio tibi facta, liberet me à percussionibus & illusionibus dæmonum.

Voces illæ, reum te proclamantes, liberent me à vocibus debitorum meorum & alienum me de peccatis meis coram te accusantium: faciant autem me audire voces sanctorum tuorum, pro me apud te intercedentium. Carcer ille in quo tu ô Jesu pernoctasti, faciat me evadere carcerem illum horribilissimum post mortem, tam æternum, quàm temporaneum. Pænæ illæ tuæ, tibi in carcere inflictæ, liberent me à pœnis Infermi & Purgatorii.

Laudo & benedico te, gratiasque tibi

ago mansuetissime Jesu, pro illo contemptu, quem passus es in palatio Herodis. Ubi tu Deus & infinitæ Majestatis Dominus, Exercituum Cœlestium Rex, à superbo illo Rege, exercitu, atque tota ejus aula fuisti spretus irrisus, exsibillatus, tanquam indignus præsentiâ Regis expulsus, tanquam fatuus veste alba indutus: & sic ignominiosissimè per plateas ad Pilatum reductus. Pro his omnibus ö Jesu te laudo, benedico, & tibi gratias ago. Et rogo quatenus contemptus ille tuus, coram te, & tota Curia Cœlesti glorificet me, & in tuo palatio Cœlesti faciat me in æternum manere. Vestis illa alba, quâ indutus eras, operiat & dealbet nigram propter peccata animam meam.

Laudo & benedico, gratiasque tibi ago modestissime Jesu, pro criminationibus, & contumeliosis accusationibus tui innocentissimi & sanctissimi; dum in foro Vrbis coram Præside Cæsareo, ab impia turba & sacerdotibus diceberis subversor gentis tuæ, seditiosus & commotor populi, Rebellis Cæsari, Malefactor &c. dignusque

cru-

crudelissima Crucifixionis morte. Et rogo te amabilissime Jesu, quatenus Crimina illa tibi falsissimè objecta, tollant mea vera crimina, de quibus dæmonum turba, coram te justissimo Judice, posset me accusare & condemnari petere.

Recolitio 5ta.

De Jesu Flagellato, & Coronato.

LAudo & benedico te, gratiasque tibi ago mitissime Jesu, pro tua dirissima ad columnam flagellatione. Ubi tu innocentissimus Dei Filius, fuisti ignominiosissimè, cum tuo ineffabili pudore vestibus exutus, & totus denudatus, funibus & loris ad columnam alligatus, virgis & flagellis acerrimè cæsus, toto corpore vulneratus, sulcatus, laceratus, à planta pedis usque ad verticem capitis, vulneribus & livoribus plenus factus, totus sanguine circumfusus. Pro his omnibus ô Jesu te laudo, benedico, tibique gratias ago. Et deprecor, quatenus denudatio tua restituat mihi vestem innocentiæ perditæ. Pudor tuus quem habuisti ex denudatione tui, cooperiat impudicitiam

meam. Tormentum illud atrocissimum flagellationis deleat luxuriam meam, atq; aboleat omnes immunditias, quas vitio carnis, & insultu concupiscentiæ, pravorumque desideriorum in me contraxi.

Laudo & benedico te, gratiasque tibi ago Amantissime Jesu, pro illa crudelissima & probrosissima Coronatione. Ubi tu Rex Cœli & terræ gloriosissimus, & infinitæ Majestatis Dominus, per ludibriũ tanquam falsus Rex fuisti purpurâ irrisoria vestitus, sceptro ludicro scilicet arundineo donatus, serto spineo coronatus, tot aculeis spinarum in capite & fronte punctus & vulneratus sanguine super caput, crines, frontem aures, oculos, faciem superfusus, falsa adoratione honoratus, irrisione Rex salutatus, consputus, alapisatus, in Caput percussus, irrisus, illusus, cachinnis & insultationibus impetitus, populo rabido, ex alto in miserandissima specie, utpote non habens speciem neque decorem in se ullum ostentus ad commiserandum fuisti. Pro his omnibus ô Jesu te laudo, benedico, & tibi gratias ago. Et precor te, quatenus

Coro-

Coronatio tua ignominiosissima & dolorosissima deleat peccata meæ superbiæ, pompæ mundanæ, vanæ gloriæ, ambitionis, apparentiæ, splendidi ornatus, ostentationis, elationis. Chlamys tua coccinea, donet mihi purpuram Regiam in Regno tuo. Corona tua spinea det mihi coronam auream gloriæ tuæ. Sceptrum tuum comparet mihi sceptrum sydereum. Illusiones tuæ faciant me illudere inimicis meis dæmonibus. Contemptus & despectus tui, efficiant mihi gloriam, in conspectu SS. Angelorum tuorum, & totius Curiæ Coelestis.

Recolitio 6ta.

De Jesu Crucifixo & Moriente.

LAudo & benedico te, gratiasque tibi ago Dulcissime Jesu, pro tuo judicio mortis. Ubi tu Innocentissimus Dominus fuisti à rabido populo ad mortem postulatus, linguis Judæorum crucifixus, pejor Barraba sanguinario homicida reputatus; á Pilato inquisitus judicio ejus statutus, ad mortem turpissimam condemnatus, Carnificibus traditus, patibulo crucis oneratus, à sic-

à ſiccariis & tortoribus per Urbem ad locum ſupplicii ignominioſè tanquam latro ductus. Pro his omnibus ô Jeſu te laudo, benedico, gratiasque tibi ago. Et precor, quatenus ſententia illa tua mortis contra te lata, liberet me in tuo judicio tremendo à ſententiâ mortis æternæ, & donet mihi audire à te ſententiam vitæ ſempiternæ.

Laudo & benedico te, gratiasque tibi ago miſericordisſime Jeſu, pro tua Crucifixione. Ubi tu Deus & Author vitæ ſanctisſimus, in medio latronum tanquam maximus latro fuiſti in patibulo crucis ſuſpenſus. Caro tua ſanctisſima in cruce fuit violentisſimè extenta, pedes horrendis clavis transfixi, & Cruci affixi; manus quoq; clavis proforatæ & affixæ; artus in manibus & pedibus evulſi; venæ omnes ruptæ; Caput ſpineo ſerto coopertum & revulneratum; oculi ſanguinis & lacrymarum plenisſimi. Totus ô Jeſu in cruce pendebas vulneratus, lividus, pallidus ſanguinolentus, miſerabilisſimus, contemptus, deſpectus blaſphematus, irriſus, illuſus, dolorum intus & foris plenisſimus; tandem poſt

ama-

amarisſimum agonem mortuus; in latere & corde lancea transverberatus, de Cruce depoſitus & ſepultus.

Pro his omnibus te laudo & benedico, & tibi gratias ago ô Jeſu Clementisſime. Et deprecor te, quatenus: Conſortes mortis tuæ latrones faciant me tui conſortio frui in æternum. Caro tua ſanctisſima in altari crucis extenſa, ſit ſacrificium tibi pro peccatis meis acceptabilisſimum. Clavi tui, ſint mihi claves ad aperiendum Paradiſum Cœleſtem. Vulnera tua ſanent omnia vulnera animæ meæ. Livores tui curent omnes livores concupiſcentiæ meæ, & pravorum deſideriorum meorum. Sanguis tuus ad ultimam guttam effuſus deleat omnia peccata mea; & abluat, atque candidam faciat animam meam, ſpecies tua miſerabilisſima, tribuat faciem ſpecioſisſimam animæ meæ. Contemptus & deſpectus tui, ſolvant & obliniant omnes contemptus, quos tibi peccando irrogavi, & me in Cœlis glorioſum reddant. Dolores omnes tui liberent me à doloribus inferni & purgatorii, & dent mihi delicias Paradiſi Cœleſtis.

ſtis. Agonia tua altera amarisſima faciat mihi agonem dulcem & felicem. Mors tua det mihi vitam tecum in æternum. Latus tuum apertum, ſanguinem & aquam effundéns, efficiat me torrente voluptatis tuæ in Cœlis inebriari & ſatiari. Cor tuum lanceâ transfixum, det mihi te in æternum amare, & te ſummo Bono frui. Sepultura tua liberet me à ſepulturâ inferni, & faciat me tecum in æternum vivere & regnare. Amen.

ACTIO XVIII.

Ægrotus ſupplicat toti ſingillatim Sanctisſimæ Trinitati pro ſua ſalutè ſecundum vires ſuas & tempus.

Ex Meditat. S. Auguſtini Snpplicatio.

AD DEUM PATREM.

INvoco te ô Deus meus, invoco te ô Deus Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis; invoco te, qui me de nihilo creaſti, & imagine Dei inſignivisti. O Pater Amantisſime, peccavi in Cœlum & coram te; indignus quidem veniâ, imploro tamen

tuam

tuam misericordiam. Et quia delinquentes servuli evadunt supplicia dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorum: sic te omnipotens Pater per omnipotentis Filii charitatem postulo: educ de carcere ad confitendum nomini tuo, animam meam. Libera me à vinculis peccatorum, per Coæternum flagito unicum tibi Natum; meque cui propria merita lethalem minantur sententiam, pretiosissimæ; ad dexteram tuam consedentis, prolis interpellatione restaura placatus ad vitam.

Quem enim alium dirigam intercessorem tibi? nescio, nisi hunc qui est propitiatio pro peccatis nostris; qui sedet ad dexteram tuam interpellans pro nobis. Ecce Advocatus meus apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex summus, qui non alietrem. Ecce Pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine; quia proprio refulget perfusus cruore. Ecce Hostia sancta beneplacens & perfecta in odorem suavitatis oblata & accepta. Ecce Agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit; qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobriis affectus, os sum non aperuit. En

qui

qui peccatum non fecit, peccata noſtra pertulit, & languores noſtros ſuo livore ſanavit.

Aſpicè pie Pater piisſimum Filium, pro me tam indigna paſſum. Reſpicè Clementisſime Rex, quis patitur? & reminiſcere benignus, pro quo patitur? Intuere dulcem Natum, toto corpore extenſum. Cerne man9 innoxias, promanantes ſanguine; & remitte placatus ſcelera, quæ patrârunt manus meæ. Conſidera inerme latus crudeli perfoſſum cuſpide & renova me ſacro fonte, quem inde credo fluxiſſe. Vide immaculata veſtigia, quæ non ſteterunt in via peccatorum, diris confixa clavis, & obliviſcere vias iniquitatum mearum. Aſpicè mitisſime Conditor dilectæ ſobolis Humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatem.

Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tenſa arent viſcera, decora languent lumina, Regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati ſanguinis unda. Specta glorioſe Genitor gratisſimæ prolis lace-

lacerata membra, & te totum flecte in me ad misericordiam. Amplectere serenus & benignus Pastorem & respice Misericors allatam propriis humeris ovem. Ecce Pastor bonus refert tibi, quod commisisti ei. En gregi tuo Pastor mitis reportat, quod prædo violentus abegerat. Ecce tibi dilectus Filius plasma reconciliavit, quod à te procul deviavit. Ecce reddit tuis conspectibus servum, quem sua conscientia fecerat fugitivum; ut qui per se meruit pœnam, per satisfactionem ejus mereatur veniam: Cuique pro culpis supererat gehenna tanto Advocato jam confidat revocari ad patriam.

Si me pro mea ut dignum est despicis iniquitate, respice me saltem pro dilectæ sobolis charitate. Attende in Filio, quo propitieris in servo. Quoties beatæ Prolis tibi patent vulnera, delitescant obsecro scelera mea. Multùm quidem est, quod meretur mea impietas: longè autem majus est, quod Redemptoris mei jure reposcit pietas. Magna quidem est mea injustitia: satis vero major est Redemptoris justitia. Proinde Miserere mei. Sup-

Supplicatio AD DEUM FILIUM.

ET te Domine Jesu Christe Filii DEI vivi, qui in cruce expansis manibus, propter me Calicem passionis hausisti invoco. Nunc mihi præbere digneris auxilium. Ecce pauper clamo ad te divitem, miser ad misericordem, succurre mihi. Ecce Domine iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Et nisi tu cui proprium est misereri, dexteram majestatis tuæ supponas, mergi cogor miserabiliter in profundum. Attende Domine Jesu & vide, quoniam ecce insultat adversùm me inimicus dicens: Deus dereliquit eum, persequar & comprehendam eum, quia non est qui eripiat. Et tu Domine usquequo? Convertere & eripe animam meam. Salvum me fac propter Misericordiam tuam. Miserere servi tui, sed & filii tui, quem in tantis doloribus genuisti. Nunquid oblivisci potest mater infantem uteri sui? Et certè si illa oblita fuerit, tu piissime Pater promisisti te non oblivisci.

Ecce clamo exaudi me; dolorẽ crucior consolare me. Ecce jam morior, & Jesus non est mecum? absit. Adesto misericordissime Jesu. Et ubi sunt Misericordiæ tuæ antiquæ Domine Jesu? Nunquid irasceris mihi in finem? Placare obsecro & miserere mei; & non avertas faciem tuam à me, qui pro me redimendo non avertisti faciem tuam ab increpantibus & conspuentibus in te. Fateor quia peccavi; & Conscientia mala meretur damnationem; & pœnitentia non sufficit ad satisfactionem: sed Misericordia superat omnem offensionem. Noli quæso piissime Domine scribere adversùm me amaritudines meas, ut intres in judicium cum servo tuo; sed secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Tu Domine qui non vis mortem peccatorum, nec delectaris in perditione morientium: immo ut mortui viverent, tu mortuus es, da ut te mortuo pro me, & nunc vivente, non moriar in æternum. Mitte manum tuam de alto, & libera me de manu inimicorum meorum, ne supergaudeant

deant mihi & dicant: devorabimus eum. Quis unquam Domine Jesu diffidet de misericordia tua? qui cùm inimici essemus, redemisti nos in sanguine tuo, & reconciliâsti nos Deo. Ne memineris dulcissime Jesu tuæ Justitiæ adversus servum tum; sed esto memor benignitatis tuæ erga creaturam tuam. Ne memineris iræ adversus reum; sed memor esto miserationis tuæ adversus miserum. Obliviscere superbum offendentem, & respice miserum invocantem. Quid enim est Jesus nisi Salvator? Ergo ô Jesu propter temetipsum exurge in adjutorium mihi, & dic Animæ meæ: salus tua ego sum. Multum Domine de tua Bonitate præsumo; respice fragilitatem meam, ignosce malitiæ meæ. Parce ô Jesu, parce & miserere mei.

Supplicatio AD DEUM SPIRITUM SANCTUM.

Tu quoque ô Divini Amor Numinis, Patris Omnipotentis, Prolisque Beatissimæ, Sanctissima Communicatio, Omnipotens

potens Paraclite Spiritus Sancte. Mœrentium solatium, Pater Clementissime, adesto mihi invocanti. Veni nunc veni dolentis animæ benignissime Consolator, in opportunitatibus & tribulatione adjutor. Veni mundator scelerum, veni fortitudo fragilium, releuator labentium. Veni humilium Doctor, superborum destructor. Veni orphanorum pius Pater. Veni spes pauperum, Refocillator deficientium. Veni navigantium sydus; naufragii Portus. Veni omnium viventium vita; Morientium unica salus. Veni sanctissime spiritus, veni & miserere mei. Sicut Patris creavit me Potentia; Filii redemit me pietas & sapientia; ita tua tibi propriissima parcat & misereatur mihi Clementia. Postula pro me ô Spiritus dulcissime gremitibus tuis inenarrabilibus, & fac ut non peream, sed tecum vivam, & laudem te cum Patre & Filio in æternum, Amen.

ACTIO XIX.

Æger Litanias de Domino Jesu devote recitat vel recitari audit.

KYrieeleyson Christeeleyson Kyrieeleyson

 Christe

Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus.
Fili Redemptor mundi Deus.
Spiritus Sancte Deus.
Sancta Trinitas Unus Deus.

DEUS, Qui sanas contritos corde. Miserere nobis.
Qui vulneras & mederis.
Qui mortificas & vivificas.
Qui deducis ad inferos & reducis.
Qui orantes in sua infirmitate curare consuevisti.
Qui propter misericordiam tuam magnam, salvos facis omnes sperantes in te.

DEUS, Qui Job ulcere pessimo percussum sanasti. Miserere nobis.
Qui Ezechiam ad te clamantem à morbo liberasti.
Qui dæmonium à Sarra depulisti.
Qui Tobiam lumen cœli videre fecisti.

JESU

JESU, Qui Chananæam pro filia deprecantem exaudisti. Miserere nobis.
Qui socrum Petri à febre liberasti.
Qui mulierem Spiritu infirmitatis annis octodecim inclinatam ad sanitatem perfectam erexisti.

JESU, Qui filium Principis, jam mori incipientem à febri salvasti. Miserere nobis.
Qui puerum Centurionis verbo sanasti.
Qui paralyticos & leprosos curasti & mundasti.
Qui à Spiritibus immundis vexatos & obsessos liberasti,

Qui mulierem per tactum fimbriæ tuæ à sangui-
nis fluxu sanasti.
Qui surdos audire fecisti.
Qui claudis gressum restituisti.
Qui mutorum ora aperuisti.
Qui cæcos illuminasti.
Qui omnes infirmos & ægrotos tangendo
sanasti.
Qui omnes oneratos & laborantes reficisti
Qui omnes languores nostros portasti.
Qui filium mortuum Matri viduæ vivum re-
stituisti.
Qui filiam Archi synagogi ad vitam revocasti.
Qui Lazarum quadriduanum à mortuis re-
suscitasti:
Qni ægrotos visitasti, & visitantibus præmia
æterna promisisti.
Qui per umbram Petri, multos ab infirmita-
tibus suis liberasti.
Qui per sudaria & semicunctia Pauli multos
infirmos curasti.

JESU. Miserere nobis.
JESU. Miserere nobis.

JESU, Adjutor & protector noster
JESU, susceptor & liberator noster.
JESU, Refugium nostrum & Cornu salutis
nostræ.
JESU, Fortitudo & patieniia nostra
JESU, Salvator & Redemptor nostre.

Miserere nobis.

Propitius esto. Parce nobis JESU.
Propitius esto. Exaudi nos JESU.
Propitius esto. Libera nos JESU.

Ab omni malo
Ab omni peccato.
Ab omni morbo & languore.
Ab omni impatientia & pusillanimitate.
A peste & omni contagione.
Ab insidiis diaboli.
A periculis mortis.
A doloribus inferni.
A subitanea, & improvisa morte.
A damnatione perpetua
Libera nos JESU.

Per tentationem tuam
Per lacrymas & ærumnas tuas.
Per labores & defatigationes tuas.
Per tristitiam & tædium tuum
Per pavorem & mærorem tuum.
Per famem & sitim tuam.
Per agoniam & sanguineum sudorem tuum.
Per SacroSancta Vulnera tua.
Per pretiosissimum sanguinem tuum.
Per Crucem & Passionem tuam.
Per mortem & sepulturam tuam.
Per gloriosam Resurrectionem tuam.
Per admirabilem Ascensionem tuam.
In die judicii.
Libera nos JESU.

PECCATORES. Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas.
Ut nobis indulgeas.
Ut spatium veræ pœnitentiæ nobis concedas.
Ut compunctionem cordis & fontem lacrymarum nobis largiaris.
Te rog. audi nos.

Ut nos visitare & consolari digneris.
Ut sanitatem mentis & corporis nobis dones.
Ut indulgentiam & remissionem omnium peccatorum nobis impertias.
Ut gratiam & consolationem S. Spiritus infundas.
Ut veram Christianam nobis patientiam tribuas.
Ut in omni tribulatione nostra nobis succurras

Te rogamus audi nos.

Ut nos in hora mortis, contra omnes insidias diaboli protegas.
Ut nos in tua gratia mori, & ad finem usque perseverare facias.
Ut extremis vitæ nostræ benedicas.
Ut spiritum nostrum in manus tuas suscipias.
Ut post obitum nostrum Paradisi januas nos gaudenter introire jubeas.
Ut nos exaudire digneris.

Te rogamus audi nos.

JESU FILI DEI.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi Parce nobis Jesu.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi.
Miserere nobis Jesu.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrieeleyson. Christeeleyson. Kyrieeleyson.
Pater noster &c.
Et ne nos inducas in tentationem.
sed libera nos à malo.
Salvos fac servos tuos.
Deus meus sperantes in te
Adjutor noster esto, ne derelinquas nos.

Neque despicias nos Deus, salutaris noster.
Adjuva nos Deus auxiliator noster.
Et propter gloriam nominis tui, libera nos.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus humani generis benignissime Conditor & Misericordissime restaurator, qui hominem invidia diaboli ab æterna felicitate dejectum Jesu Christi Domini nostri, pretioso sanguine redemisti; vivifica nos famulos tuos gratiæ tuæ vigore; & jacentibus manum porrige salutarem; reple nos gaudio cordis, & lætitiâ spiritûs; expelle à nobis omnes hostiles insidias; & mitte nobis medicum salutis Angelum tuum sanctum qui nos in angustiis positos consoletur, atq; in omni adversitate protegat, ut securi ex hac vita transeamus, & feliciter ad te perveniamus.

Imploramus Domine humiliter Misericordiam tuam, quæ nobiscum sit semper, & animas nostras illæsas custodiat, gratiamque tuam quocunque insultu hostili nobis eripi non permittat. Suscipe ô Misericordissime Deus præces nostras & præsta: ut

ut de omni adversitate & angustia liberati, incessabiliter in perpetua gratiarum actione laudemus. Per Christum Deum nostrum. Amen.

ACTIO XX.

Infirmus implorat patrocinium Sanctissimæ Dei Matris Mariæ.

Oratio I.

O Mater & Virgo Dulcissima. O Mater Misericordissima. O Domina mea Clementissima. Ecce adsum ego servulus tuus, cum intimo & devotissimo affectu cordis mei. En humiliter projicio me ad sacratissimos pedes tuos, indignum scabellum pedum tuorum. Quid aliud possum de Misericordissima Matre, & de Dulcissima Virgine, nisi misericorditer & dulciter sentire, in meum & omnium peccatorum solatium? Esto ergo misericors mihi, & bona Mater cordi meo semper. Precor te gloriosissima Mater Dei Maria: quatenus ab hac præsenti hora usque ad extremum vitæ meæ punctum, propitio ac sereno vultu, cordeque dulcissimo, super me respicere non fatigeris, sed in tuam custodiam me accipias

atq; ſanctisſima brachia tua ſuper me matrinalium expendas. Cum autem venerit dies meus novisſimus, & hora mortis metuenda valde, quam non poſſum præterire; ô Clementisſima Domina, mea ſingularis fiducia in omni anguſtia, ſed maxime in hora mortis meæ; tunc memento mei, & asſiſte fini vitæ meæ, conſolando trepidantem animam meam: protege eam ab illis tetris & immundis dæmonum ſpectris, asſiſtendo ei cum multitudine Angelorum & ſanctorum. Placare quoque digneris, mundisſimis & pretioſisſimis tuis precibus, priusquam decedam ex hac luce, Divinam faciem Filii tui; quem toties, & tam graviter offendi peccatis meis. Statue me juxta te, & loquere ad Filium tuum, Judicem meum pro me verbum bonum, & ſuave. Poſt hæc ſuſcipe enavigantẽ ex hoc exilio inopem animam meam: & introduc eam per portas Cœli, ad amæna Paradiſi. Honoro te flexis genibus, inclino me tibi devotis nutibus, gratias tibi ago junctis manibus, commendo me tibi totis viribus. Et quamdiu poſſum ſaluto te cum Archangelo: Ave Maria gratia plena &c. Ora-

Oratio II.

AVe Maria, Ancilla & nobile Hoſpitium Sanctiſſimæ Trinitatis. Ave Maria, præelecta Filia Dei Patris. Ave Maria Sponſa Spiritûs S. Ave Maria Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ave Maria ſoror Angelorum. Ave Maria, promiſſio Prophetarum. Ave Maria, Regina Patriarcharum. Ave Maria, Magiſtra Evangeliſtarum. Ave Maria, Doctrix Apoſtolorum. Ave Maria confirmatrix Martyrum. Ave Maria, fons & plenitudo confeſſorum. Ave Maria, Decus & corona Virginum. Ave Maria, ſalus & conſolatrix vivorum. Ave Maria vita mortuorum. Ave Maria, ſpes & firmiſſimum refugium peccatorum, mecum ſis in omnibus tentationibus, tribulationibus, neceſſitatibus, anguſtiis, infirmitatibus meis; & maximè in hora mortis meæ ne deſis mihi. Et impetra mihi omnium peccatorum veniam & Cœleſtis Patriæ Gloriam. Amen.

Hanc orationem, quicunque quotidie dixerit, ſine pœnitentia & ſacramento corporis Chriſti non decedet ſic fertur

revelatum S. Bernardo, cui ab Angelo data fuit. Ex Hortulo Animæ. fol. 98.

Oratiunculæ III.

Pro felici morte.

I.

O Domina mea S. Maria, ſicut Deus Pater, per omnipotentiam ſuam, te potentisſimam effecit: ita mihi quæſo adſis in hora mortis meæ, expellendo à me omnem contrariam poteſtatem. Ave Maria, gratia &c.

II.

O Domina mea S. Maria, ſicut te Filius Dei, tanta ſui cognitione, & claritate donavit, ut totum Cœlum illumines: ita in hora mortis meæ, animam meam cognitione Fidei ſic illuſtres, & corrobores, ut nullo errore & ignorantiâ pervertatur. Ave Maria gratia plena &c.

III.

O Domina mea S. Maria, ſicut Spiritus S. ſuum amorem tibi plenè infudit: ita in hora mortis meæ dulcedinem amoris Divini, mihi inſtilla, ex qua mihi omnis amaritudo reddatur ſuavisſima. Ave Maria gratia plena &c.

Ora-

Oratiunculas prædictas ipsamet beatissima Virgo sanctam Mechtildem docuit, eique promisit in ipsius morte affuturam, si singulis diebus eas diceret, in fine cujuslibet addendo. Ave Maria gratia plena &c.

Ex magno Promptuario Corneri Ægid. Schitl. in suo mancip. Mariano.

LITANIÆ LAURETANÆ.

De Beatissima Virgine MARIA.

Kyrieeleyson, Christeeleyson Kyrieeleyson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus S. Deus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere nobis.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix. Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum.
Mater Viventium.
Mater pulchræ dilectionis.
Paradisus Voluptatis.
Lignum Vitæ.
Domus Sapientiæ.
Porta Cœli.
Desiderium Collium æternorum.
Civitas refugii.
Gloria Hierusalem.
Mater Sanctæ spei

Ora pro nobis.

Sanctuarium Dei.
Tabernaculum fœderis.
Altare thymiamatis.
Scala Jacob.
Speculum ſine macula.
Lilium inter ſpinas.
Rubus ardens incombuſtus.
Vellus Gedeonis.
Thronus Salomonis.
Turris eburnea.
Fanus diſtillans.
Hortus Concluſus.
Fons ſignatus.
Puteus aquarum viventium.
Navis inſtitoris de longè portans panem
Stella matutina.
Aurora conſurgens.
Pulchra ut luna.
Electa ut ſol.
Caſtrorum acies ordinata.
Solium gloriæ Dei.

Ora pro nobis. Ora pro nobis. Ora pro nobis.

A cunctis periculis, tentationibus, & inſultibus dæmonum. Libera nos glorioſa Virgo.
Ab ira Filii tui, & ſententia damnationis æternæ. Libera nos glorioſa Virgo.
Per immaculatam conceptionem tuam.
Per deſiderabilem Nativitatem tuam.
Per admirabilem Annuntiationem tuam.
Per puriſſimam Purificationem tuam.
Per glorioſam Aſſumptionem tuam.
Peccatores, Te rogamus audi nos.

Libera nos glorioſa Virgo.

Ut

Ut veram pœnitentiam nobis impetrare digneris.
Ut Ecclesiæ ſanctæ, cunctoque populo Chriſtiano pacem & unitatem impetrare digneris.
Ut nobis in hora mortis aſſiſtere digneris.
Ut nos tunc in omnibus anguſtiis, preſſuris, doloribus, & ærumnis ſolari digneris.
Ut in extremis vitæ noſtræ, nos ab inſidiis & inſidiis dæmonum defendere & liberare digneris.
Ut Dulcisſimum Filium tuum nobis placatum oſtendere digneris.
Ut nobis felicem exitum ex hac vita impetrare digneris.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam impetrare digneris.

Te rogamus audi nos.

Mater Dei.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos. Kyrieeleyſon Chriſteeleyſon Kyrieeleyſon.

Ora pro nobis S. Dei Genitrix.
Ut digni efficiamur promisſionibus Chriſti.

Oremus.

O Maria Dei Genitrix dignisſima, Virgo gratioſisſima, omnium deſolatorum ad te clamantium maximum ſolatium, per illa

 gaudia

gaudia quibus repleta fuisti, dum Filium tuum Dulcissimum Jesum concepisti, in utero tuo sacratissimo portasti, genuisti, lactasti, educasti, eum miracula inaudita facere, & in eum homines, tanquam Deum verum credere vidisti; ac eum post mortem resurrexisse cognovisti, precor te: esto nunc consolatrix animæ meæ. Assiste mihi tanquam piissima mater, & adjuva me in omnibus doloribus, pressuris & angustiis meis; & præsertim in ultima necessitate mea succurrere mihi. O Mater afflictorum non me deseras in hora mortis meæ. Et dum post mortem, in illo tremendo Filii tui judicio, tremens totus stabo, tu ô Dulcissima Mater tuere me, defende me, responde pro me, ora pro me, intercede pro me; ut ob gratiam tui in æternum vivat anima mea.

ACTIO XXI.

Æger pro Patrocinio confugit ad SS. Angelos & suos Patronos. Ad S. Angelos.

O Sancte Angele mi Custos fidelissime, vosque purissimi Spiritus Cœlestes. S. Michaël,

chaël, S. Gabriel, S. Raphael, omnesque alii S. Angeli Dei, adeste benignissimi, & respicite in me. En jaceo gemens & suspirans. Mors mihi in oculis est; & mortalium nemo potest me juvare; sed vos potestis mihi succurre. O Angeli beatissimi, hominibus amicissimi, assistite quæso mihi migranti ex hoc seculo, & potenter eripite me ab immundorum spirituum insidiis & insultibus, animamque meam, in vestrum assumite consortium. Tu præcipuè Angele bone Custos meus in tota vita mea fidelissime, non me deseras in hoc tempore malo, horaque periculosissima sed omni diligentiâ gere curam mei finis. O vos omnes sanctissimi Angeli Dei, Vestris obsecro intercessionibus & armis defendite me, ut hostes mei canes infernales non mihi noceant, sed confusi discedant. Ah ne me deserite in his summis angustiis meis, dum momentum illud imminet, à quo salus mea, aut perenne pendet exitium. Ah juvate me. Ante Regem Regum, pro me supplices procumbite meumque mihi conciliate judicem. Supremam ego nunc expecto sen-

tentiam: Vos impetrate mihi eam ad vitam æternam.

Sancti Angli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Ad S. Patronos.

O Sancti Patroni mei speciales N.N.N. quos in vita mea devoto affectu & servitio colui; omnes vos ardentissime invoco, & humiliter obsecro per amorem Dei, quo vos ille dilexit, & vos illum diligitis, adeste in conspectu Regis Cœlorum: & Vestris sanctis precibus ac meritis pro me intercedite, me juvate, protegite. Judicem Christum Jesum mihi placate; ut per ejus benignam sententiam, vobis annumerari dignus inveniar: atque ita summo bono in Cœlis frui, piissimumque Deum in æternum vobiscum laudare merear. Amen.

ACTIO XXII.

Æger implorat Misericordiam Dei.

Non intres in judicium tuũ cum servo tuo Domine; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: sed miserere

mei Clementissime Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Et secundùm multitudinem Miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Domine non secundùm peccata mea quæ feci ego, neque secundum iniquitates meas retribuas mihi. Domine ne memineris iniquitatum mearum antiquarum: cito anticipent me misericordiæ tuæ quia pauper factus sum nimis. Adjuva me Deus salutaris meus; & propter gloriam Nominis tui Domine libera me: & propitius esto peccatis meis propter nomen tuum.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est Misericordia tua. Secundum multitudinem Miserationum tuarum respice me Domine. Multa sunt quidem, & valde gravia delicta mea: sed ostende in me divitias Bonitatis & Misericordiæ tuæ. Parce peccatis meis. Et erit tibi summa Gloria in æternis.

ACTIO XXIII.

Æger invocat auxilium Divinum.

MIserere mei Deus, miserere mei, quoniam

niam in te confidit anima mea. Domine non confundar quoniam invocavi te. Ne derelinquas me Domine Deus meus; ne discesseris à me. Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

In te Domine speravi non confundar in æternum: in justitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, ut salvum me facias. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educas me de laqueo hoc, quem statuerunt mihi: quoniam tu es protector meus. In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis. Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

ACTIO XXIV.

Infirmus videns se deficere invocat adesse sibi Jesum & sanctissimam ejus Matrem.

MAne nobiscum Domine quoniam advesperascit & inclinata est jam dies.

Mane mecum Dulcissime Jesu, quoniam appropinquat nox; irruit horror & umbra mortis. Inclinata est valdè dies vitæ meæ. Deserunt me non menses & dies, sed ipsæ horæ; defluunt & exhauriuntur momenta. Defecerunt vires meæ: sensus planè languidi. Amici & noti non prosunt quidquam. Sine te Dulcissime Jesu, nihil possum facere quod prosit saluti Animæ meæ, ac vitam meam feliciter finire. Quocirca Amabilissime Jesu veni, & mane mecum in fine vitæ meæ. Ostende te mihi benignum & sufficit mihi.

Audi & tu gemitus & dolores ultimos servuli tui Clementissima Domina, ac Dulcissima Mater mea Virgo Maria. Audi fons vitæ & veniæ, spes periclitantium, salus omnium in te sperantium. Ave gratia plena, Dominus tecum: & sicut est tecum, ita sit mecum; & tu ô Benignissima sis mecum.

Mortis hora Mater advenias
Pectus pro me Christo aperias
Et allega tot amicitias
Ut amore me dignum facias.
Ejus precor amore nimio
Qui se tibi dedit in gremio

Et quem carnis vestisti lilio
Adsis mihi mortis in prælio.
Summi Regis Mater & filia
Cui nullus par est in gloria
Tua Mater dulcis Clementia
Sit tunc & nunc mihi propitia.
Tunc assistas mecum in acie
Et confringas conatus bestiæ
Ibi Matrem omnipotentiæ
Te declarans ; des regnum Gloriæ.

ACTIO XXV.

Æger amplexatur, & Osculatur affectuose membra Domini sui Crucifixi, pro venia peccatorum.

Ex rythmis S. Bernardi.

Affectus

Ad Pedes.

Pedes tuos, plagas duras
Et tam graves impressuras
Circumplector cum affectu
Tuo pavens in aspectu
Tuorum memor Vulnerum.
Quidquid est in me contractum
Dissipatum aut distractum
Dulcis Jesu, totum sana
Tu restaura, tu complana
Tam pio medicamine.

Te in cruce tua quæro.
Prout quæro corde mero.
Me ſanabis hîc ut ſpero
Sana me & ſalvus ero
In tuó lavans ſanguine.

Ad Genua.

Salve Jeſu Rex. ſanctorum
Spes votiva peccatorum.
Crucis ligno tanquam reus
Pendens homo verus Deus
Caducis nutans genibus.
O quam Pauper, ô quam nudus,
Qualis eſt in cruce ludus?
Deriſorum jocus factus.
Sponte tamen, non coactus
Attritus membris omnibus.
O Majeſtas infinita.
O egeſtas inaudita.
Quis pro tanta Charitate
Quærit te in veritate,
Dans ſanguinem pro ſanguine?

Ad Manus.

Manus clavis perforatas
Et cruore purpuratas
Corde premo præ amore
Sitibunde bibens ore
Cruoris ſtillicidium.
Manus ſanctæ uos amplector
Et gemendo condelector
Grates ago plagis tantis,

Clavis duris, guttis ſanctis
Dans lacrymas cum oſculis,
In cruore tuo lotum
Me commendo tibi totum
Tuæ ſanctæ manus iſtæ
Me defendant Jeſu Chriſte.
Extremis in periculis.

Ad Latus.

Salve latus Salvatoris
In quo latet mel dulcoris
Ex quo ſcatret fons cruoris
Qui corda lavat ſordida.
Ecce tibi appropinquo
Parce Jeſu ſi delinquo.
Verecundâ quidem fronte
Ad te tamen veni ſponte
Scrutari tua vulnera
Hora mortis meus flatus
Intret Jeſu tuum latus.
Hinc exſpirans in te vadat
Ne hunc leo trux invadat;
Sed apud te permaneat.

Ad Pectus.

Salve ſalus mea Deus
Jeſu dulcis, amor meus.
Salve pectus reverendum
Cum tremore contingendum
Amoris domicilium.
Dulcis Jeſu Chriſti pectus
Tuo fiam dono rectus:

Abſolutus à peccatis
Ardens igne Charitatis
Te amans ſuper omnia.
Ave verum templum Dei.
Precor miſerere mei.
Tu totius arca boni
Fac electis me apponi
Vas dives, Deus omnium.

Ad Cor.

Summi Regis cor aveto.
Te ſaluto corde læto.
Te complecti me delectat
Et hoc meum cor affectat
Ut ad te loquar animat.
Propter mortem quam tuliſti,
Quando pro me defeciſti.
Cordis mei cor dilectum,
Munda cor meum illectum
Dimittens mihi omnia.
Viva cordis voce clamo
Dulce cor namque te amo.
Ad cor meum inclinare
Ut te valeat amare
Debito tibi affectu.

Ad Faciem.

Salve caput cruentatum
Totum ſpinis coronatum
Conquſſaatum, vulneratum
Arundine verberatum
Facie ſputis illita.

Salve cujus dulcis Vultus,
Immutatus & incultus,
Immutavit ſuum florem
Totus verſus in pallorem
Quem Cœli tremit Curia.
Sic affectus, ſic deſpectus
Propter me ſic interfectus
Peccatori tam indigno
Cum amoris interſigno
Appare clara facie.

ACTIO XXVI.

Æger Supplicat Domino, pro Venia delictorum & ſalute.

Supplicatio I.

O Amabilisſime & Miſericordisſime Jeſu, per illas triſtisſimas horas, quibus pendebas in cruce, & per illud totum mare Pasſionis, & ſummæ amaritudinis tuæ, in quo totus profundè immerſus fuiſti, memento mei ſervi tui mali in Regno & judicio tuo, ſicut memor fuiſti Latronis tecum pendentis, & te confitentis. Nam ſicut ille, ita & ego magnus latro in te credo, te confiteor, te Regem & Deum prædico, tibi condoleo; te laudo, benedico, amo, adoro, glorifico; ac pro peccatis meis

ſumme

ſummè doleo. Sonet vox tna in auribus meis; Vox tua dulcis, ut audiam ex ore tuo dulcisſimo: Hodie mecum eris in Paradiſo. Amen Amen. Fiat fiat Dulcisſime Jeſu.

Supplicatio II.

Ex Proſa Eccleſiæ pro Defunctis,

Rex tremendæ Majeſtatis
Qui ſalvandos, ſalvas gratis
Salva me fons pietatis.
Recordare Jeſu pie
Quod ſum Cauſa tuæ viæ
Ne me perdas illa die.
Quærens me ſediſti laſſus.
Redemiſti crucem paſſus
Tantus labor non ſit caſſus.
Ingemiſco tanquam reus
Culpa rubet vultus meus
Supplicanti parce Deus.
Juſte judex ultionis
Donum fac remisſionis
Ante diem rationis.
Preces meæ non ſunt dignæ
Sed tu Bonus, fac benignè,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præſta.
Et ab hædis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.
Oro ſupplex & acclinis
Cor Contritum quaſi cinis
Gere curam mei finis.

Supplicatio III.

Ex Rythmis S. Bernardi.

O Jeſu ne me reum aſperneris
Nec indignum dedigneris
Morte mihi jam vicina
Ad me ſervum tu declina
Benignus & Miſericors.
Tuæ ſanctæ Pasſioni
Me gauderem interponi
In hac cruce tecum mori:
Præſta crucis amatori
Sub cruce tua moriat.
Morti tuæ tam amaræ
Grates ago Jeſu chare
Qui es Clemens pie Deus
Fac quod petit tuus reus
Ut absque te non finiar.
Dum me mori eſt neceſſe
Noli mihi tunc deeſſe.
In tremenda mortis hora
Veni Jeſu absque mora
Tuere me & libera.
Cum me jubes emigrare.
Jeſu chare tunc appare.
O, amator amplectende,
Te metipſum tunc oſtende
In Cruce Salutifera. Amen.

ACTIO XXVII.

Ægrotus peccatis ſuis territus, metum deſperationis de ſalute abjicit.

De-

DEſperare utique potuiſſem propter nimia peccata mea & infinitas negligentias meas. Sed deſperare jam non audeo, neque ullo modo deſperare debeo; ſed ſentio de Domino meo in bonitate: quia ego licet ſim ſervus malus, tamen ille eſt Dominus ſummè bonus & Miſericordiſſimus, qui dixit: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Deinde quia nos omnes homines, cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem Filii Dei; quantò magis reconciliati, ſalvi fieri poſſumus per eum. Omnis namque ſpes, & totius fiduciæ certitudo mihi eſt in pretioſo ſanguine ejus qui effuſus eſt propter nos, & propter ſalutem noſtram. In ipſo reſpiro, & in ipſo confiſus ad eum pervenire ſpero ac deſidero non habens meam juſtitiam, ſed eam quæ eſt ex Domino noſtro Jeſu Chriſto. Non enim tam immitis eſt Deus, ut obliviſcatur hominis, & non meminerit ipſius, quem ipſe geſtat, & quem mei cauſa ſuſcepit. Nonne ille eſt, qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores? Nonne eſt ille, qui venit quærere, &

ſalvum facere quod perierat? Nonne eſt ille qui peccatores recipit, & converſatus eſt, atque manducavit cum illis? Nonne tot maximi peccatores per ejus Miſericordiam, ac per ejus Paſſionem & mortem ſalvati ſunt? Quocirca & ego me ſalvandum ſpero.

In Domino igitur confido; quomodo dicitis animæ meæ inimici mei: Euge, euge, devorabimus eam? Scio quia nullus ſperavit in Domino & confuſus eſt. Et ego etiamſi occiderit me in ipſo ſperabo. Quis enim permanſit in mandatis ejus & derelictus eſt? aut quis invocavit eum & deſpexit illum quoniam pius & Miſericors eſt Dominus & remittet in die tribulationis: & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate. Audio à Sanctis Prophetis dici: ſpera in Deo tuo ſemper; nam omnes qui ſperant in eum non infirmantur. Bonus Dominus & confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe, Bonus Dominus ſperantibus in eum; & animæ quærenti illum. Ergo in pace in idipſum, dormiam & requieſcam: quoniam tu

tu Domine singulariter in spe constituisti me; Tu factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula; protegar in velamento alarum tuarum, qui es firmamentum virtutis, tegimen ardoris, umbraculum meridiani, deprecatio offensionis & adjutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos; dans sanitatem & vitam & benedictionem, scilicet æternam.

ACTIO XXVIII.

Æger morti proximus vivis sanis valedicit.

EGo moribundus contestor vos hodierna die de his:

1mo. Quia pro peccatis meis, & offensis Divinis omnibus, sincerè & ex corde doleo. Et si quam diutissimè viverem, nunquam Deum offendere vellem.

2do. Credo in Deum Trinum & unum. Credo in Christum Jesum Redemptorem meum Amabilissimum, Credens omnia quæ credit S. Mater Ecclesia Catholica Romana. Et in hac Fide & Ecclesia immuta-

mutabiliter morior. Hæreses omnes summè execror & abominor.

3tio. Licet citatus ad Dei tribunal, rationem strictam redditurus de tot decadibus annorum, totus horreo; nam ô quam horrendum est coram tanto Judice stare, eique ad omnia respondere: tamen non despero, sed de venia, & indulgentia peccatorum meorum, firmissimam spem habeo. Nam licet ego sim servus infidus, damnosus, & improbus; tamen Dominus Deus, est summè bonus, & infinitè misericors, condescens fragilitati, & parcens malitiæ humanæ.

4to. Deum summè bonum, & summum ac infinitum Bonum, Piissimum Patrem, & ineffabilem benefactorem meum, ex toto corde meo, & ex totis viribus meis diligo, laudo, benedico, adoro, glorifico: ipsumque ab omnibus Creaturis infinities amari, laudari, benedici, adorari glorificari exopto.

5to. Me in sanctissimam Dei Voluntatem totum plenissimè resigno. Bene valere, ægrotare; vivere, mori: quomodocun-

cunque Deo placueris paratissimus. Fiat Voluntas Dei.

6to. Vos omnes quotquot offendi dictis vel factis humiliter deprecor. Propter Dominum nostrum Jesum Christum, & Sanctissimam ejus Matrem, culpas meas, & offensas vestras, mihi condonate, & mihi ignoscite. Agnoscentem habetis reum & dolentem; atque hoc mihi, hinc abituro viaticum non negate. Et ego vicissim omnibus inimicis meis ex corde ignosco; injurias omnes mihi illatas, licet gravissimas condono. Sicut rogo & opto debita mea à Deo mihi dimitti, ita ego debitoribus meis me injuriantibus dimitto.

7mo. Vobis omnibus maximas ago gratias, quotquot mihi, præcipuè in hac infirmitate mea benefecistis: quotquot me, sive manu & opere, sive cura & consilio ac amore juvistis. Deus bonorum omnium fons inexhaustus, & amoris pelagus immensum, vicem reddat amori nostro. Christus Jesus qui dixit: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis sit ipse vobis merces.

Et nunc commendo vos Deo, & Verbo

gratiæ ipsius. Ab hinc scio quia non videbitis faciem meam vivam me extincto, donec in extremo judicii die; sed tamen mei mementote; Deum pro anima mea exorate, eam in pœnis atrocissimis Purgatorii piis suffragiis juvate; præsertim vos Liberi & Amici mei, quos iterum rogo: Miseremini mei. Valete.

ACTIO XXIX.

Infirmus jam valde deficiens, Domino Deo reconciliatus, Sacramentis munitus, supplicat pro celeriori morte, auxilio, & salute sua.

QVid mihi jam ultra cum mundo Dulcissime Jesu? Tædet animam meam vitæ meæ. Cupio dissolvi & esse cum Christo. Ecce nec in Cœlis quidquam præter te volui. Veni ergo Domine Jesu si est voluntas tua, veni & noli tardare; relaxa facinora mea. Solve vincula: educ vinctum de domo carceris, de lacu miseriæ, & de luto fecis. Expectans expectavi te; intende mihi & exaudi me. Noli me apud sæculum diutius relinquere. Satis sit quod

huc

huc usque certavi: quod tanto tempore exulavi: quod te frui non merui, nec facie ad faciem contemplari potui. Nunc optato concede mihi frui gaudio, quod nullo finitur termino, nec ullo obnubilatur tædio. Ostende mihi faciem tuam, quam Angeli semper vident, & videre desiderant. Sonet vox tua in auribus meis, Vox illa tua dulcis: sis mecum, & ego ero tecum? Revoca abjectum ad patriam & in pristinum gradum lapsum restitue. Veni Redemptor bone, fac me participem æternæ Gloriæ tuæ. Tempus est ut revertar ad te: tempus est, ut commendes corpus meum terræ, de qua sumptum est.

Recipe me ab hominibus; & sanctorum tuorum me conjunge societatibus. Tædet me vitæ temporalis, sola dies me delectat æternæ claritatis. Non mihi obsistat in exitu de Ægypto serpens antiquus; non latret contra me in porta inimicus; non me tetra ejus imago perterreat; non mortis horror conturbet: sed SS. Angeli tui fideliter mihi assistant, fortiter me juvent, viriliter protegant, blandè, leniterq;

 fulci-

suscipiant, & ad Cœlestem Paradisum cum exultatione perducant. Assistat & Gloriosa Dei Genitrix Virgo Maria, & tota Cœlestis frequentia. Et tu Jesu bone & dulcis, agnosce me Creaturam tuam non à diis formatam, sed à te solo Deo vivo & vero. Agnosce Domine optime servum tuum, cujus delicta ne memíneris; sed secundum abyssum Misericordiæ tuæ, ab omni reatu absolve me.

Redde mihi lætitiam vultus tui, & noli me reprobare à dilectis sanctis tuis: sed retracta & recordare ô Fili Dei, quia pretioso sanguine tuo me redemisti. Suscipe me in Misericordia & bonitate tua: quia desiderio desideravi apud te facere pascha. ô felix dies, quando veniam & apparebo ante jucundissimam faciem Domini mei. Eia veniat benedicta hora transitus mei ad Deum meum, quam tu mihi ô Jesu concede, ut te laudem in æternum.

ACTIO XXX.

Moribundus animam agens, sed sibi præsens & sensibus vigens devotè aspirat in suis angustiis.

Aſpiratio 1ma.

BEnignisſime Domine Jeſu, ecce puer & ſervus ac filius tuus, quem cum tantis doloribus in Cruce peperiſti infirmatur, gemitque totus miſerabilis, & non eſt qui juvet & conſoletur eum; deſcende & veni ad eum priusquam moriatur. Tu eum viſita, juva, conſolare, protege ab omni malo & libera.

Aſpiratio 2da.

Ne tranſi Miſericordisſime Samaritane, Dulcisſime Jeſu; en jaceo in via mortalitatis, ſemivivus relictus, totus doloribus & anguſtiis plenus. Veni & miſeri miſerere; oleum conſolationis in vulnera mea infunde: atque accipe, & pone me in jumentum ſanctisſimæ Humanitatis tuæ; & porta me non jam in ſtabulum hujus miſeræ vitæ, quod me relinquere jubes, ſed in domum jucundisſimæ manſionis tuæ; ut tibi gratias agam, & laudem te in æternum, pro tua piisſima Miſericordia tua, quam oſtendiſti ſuper me.

Aſpiratio 3tia.

O Jeſu Paſtor bone, qui te pro ovibus

tuis lupo infernali totum opposuisti, & animam tuam pretiosissimam pro eis dedisti; & ego ex his ovicula, quam cum tanto labore in mundo quæsivisti, te Amantissimum Pastorem quæro, ad te suspiro, te desidero, tuam opem imploro. Audi ergo oviculam flebiliter balantem, defende à lupo rabidissimo de corpore egredientem. Occurre te quærenti, adesto ad te confugienti, blandire te diligenti, da pabulum in cœlesti ovili tuo esurienti.

Aspiratio 4ta.

Culpa rubet vultus meus Amantissime Pater, Deus Dulcissime; revertor enim ad te filius prodigus, pauper & nudus. Non sum dignus vocari filius tuus; nec sum dignus charitate tua paterna: quia me toties peccando à te elongavi, faciens placita carnis luxuriosè vixi, substantiam à te acceptam dissipavi. Verum tu Pater piissime, recordare Miserationum tuarum; obliviscere insolentiæ meæ; delicta juventutis meæ ne memineris. Occurre & amplectere filium dolentem, & te deprecantem. Jube citò proferri stolam primam gratiæ &

glo-

gloriæ tuæ, & indui me nudum. Jube dari calceamenta in pedibus meis, quibus decoratus, dignus inveniar ingredi palatium tuum. Jube dari in manum meam annulum principio & fine carentem felicissimæ æternitatis. Annumera me dilectis filiis & domesticis tuis, ut tecum & cum illis epuler cum exultatione ineffabili, laudans & benedicens te in æternum.

Aspiratio 5ta.

O Amabilissime Jesu, piissime animarum zelator, qui ut eas in sponsas tuas ex nimio amore haberes, pro eis vitam profudisti, & eas tibi pretiosissimo sanguine, ac morte crudelissima emisti; tibi quoque meam commendo animam. Tua ipsa propter amorem tui debuit esse sponsa: verùm plus diligendo creaturam quam te, & peccando in te, heu facta est adultera, & meretrix Satanæ, atque indigna consortio & thalamo tuo, sed antro & societate in inferno dæmonis, cujus voluntatem fecit. Tu tamen benignissimus sponsus, ad te eam teste Propheta, præ nimio amore vocasti dicens; Revertere ad me & ego te

ſuſcipiam: & in hujus Myſterii ſignum vinculum matrimonii indiſſolubile conſtituiſti. Suſcipe ergo Dulcisſime Jeſu, peccatricem animam meam, ad te revertentem, pœnitentem, dolentem, culpam ſuam fatentem & humillimè deprecantem: da ei oſculum dulcisſimum, & introduc eam in tuum thalamum æternæ jucunditatis.

Aſpiratio 6ta.

Ad Beatisſimam Virginem, per Antiphonam Eccleſiæ.

Salve Regina Mater Miſericordiæ, vita dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamo miſer & exul, filius Evæ. Ad te ſuſpiro gemens & amarè flens, in hac lacrymarum valle, ac præſenti extrema anguſtia ac necesſitate mea. Eia ergo Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad me converte. Et Jeſum, benedictum fructum ventris tui, poſt hoc exilium mihi benignisſimum oſtende. O Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

Aſpiratio 7ma.

Cum oſculis Crucifixi.

O Jeſu dulciſſime Paſſio tua confortet & defendat me. O Jeſu

O Jeſu dulcisſime, mors tna sn æternum vivere faciat me.
O Jeſu dulciſſime, Aqua lateris tui lavet me.
O Jeſu dulcisſime Sanguis tuus dealbet & decoret me
O Jeſu dulciſſime, Corpus tunm reficiat & corroboret me.
O Jeſu dulciſſime, Anima tua Sanctisſima ſanctificet & grarum tibi reddat me.
O Jeſu dulciſſime, Trinitas tua ſalvet, & ſatiet me.
O Bone Jeſu exaudi me.
Jeſu intra Vulnera tua abſconde me.
Jeſu ne permittas me ſeparari à te.
Jeſu ab hoſte maligno defende me.
Jeſu in hora mortis meæ juva me.
Jeſu poſt mortem jube me venire ad te.
Ut cum ſanctis & electis laudem te.
Et ſine fine amem, & glorificem te Amen.

Aſpiratio 8va.

O Jeſu adeſto mihi in his meis maximis anguſtiis, qui propter me in pasſione tua nimis anguſtiatus fuiſti. O Jeſu libera me à poteſtate & incurſu dæmonum, ad quorum poteſtatem debellandam in mundum veniſti. O Jeſu libera me ab omni cruciatu poſt mortem, qui pro me in pasſione, tam horrendè cruciatus fuiſti. O Jeſu libera me ab æterna morte, qui pro me morte Crudelisſima & probroſisſima mori dignatus

es.

es. O Jesu da mihi vitam æternam, qui pro me Animam dulcissimam & vitam tuam pretiosissimam posuisti.

Aspiratio 9na.

O nomen Jesu, nomen dulce. Nomen Jesu nomen delectabile. Nomen Jesu, nomen defendens & confortans. Quid enim est Jesus, nisi Salvator? Ergo ô Jesu, propter Nomen sanctum tuum esto mihi Jesus, & salva me; nec permittas me damnari, quem de nihilo creasti, & tam caro pretio redemisti.

Aspiratio 10ma.

O bone Jesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit & refecit Bonitas tua. O Dulcis Jesu, agnosce me tuum plasma; & opus manuum tuarum non abjicias, nec permittas vas à te formatum converti in contumeliam æternam. O benignissime Jesu, miserere mei, dum tempus est miserendi; ne damnes me, cum erit tempus judicandi. Quæ utilitas tibi in sanguine meo, dum descendero in æternam corruptionem. Non mortui laudabunt te Domine; neque omnes qui descendunt in infernum.

Aspi-

Aſpiratio 11ma.

O Amabilisſime Jeſu. O Deſideratiſime
Jeſu. O Mitisſime Jeſu. O benignisſime
Jeſu. O Jeſu, Jeſu Jeſu permitte me intrare
in numerum electorum tuorum. O Jeſu
ſalus in te credentium. O Jeſu Vita in te
ſperantium. O Jeſu ſolatium ad te confu-
gientium. O Jeſu dulcis remisſio delicto-
rum. O Jeſu Fili hominis ſcilicet Mariæ,
rogo te per ubera ſanctisſimæ Matris tuæ;
per amabilisſimam infantiam tuam, per
dulcisſimam faciem tuam; per ærumno-
ſam vitam tuam; per labores & dolores
tuos; per pasſionem & mortem tuam, mi-
ſerere mei. Libera me, protege me, ſalva
me ô fons pietatis.

Aſpiratio 12ma.

Ad Sanctisſimam Virginem
Dei Matrem.

O Mater dignisſima Dei, Mater ſummi
Cælorum Regis & Judicis mei, loquere pro
me ad Filium tuum verbum bonum, & ſal-
vus ero; nam non confundet faciem tuam,
ſed dabit tibi Matri ſuæ dilectisſimæ pe-
titionem cordis tui; non enim Filius hic

ne-

negabit, quidquid Mater postulabit. O Mater dulcissima, tu es Puella inclyta, à Deo omnibus prælecta, & ab eo nimis dilecta. Virgo in Domo Dei potentissima: nam es Patris Filia charissima, Filii Mater amabilissima, Spiritus S. sponsa gratissima, gere curam salutis meæ. O Esther formosissima, & Regi regum acceptissima; te ille habere voluit & constituit, ut per te populum suum ab æterna perditione liberaret, deprecare pro anima mea, & non moriar, sed vivam in æternum.

Aspiratio 13tia.

En morior Amantissime Jesu te jubente. Sed ô Jesu mi Dulcissime, ô Dulcissime mi Jesu, quis mihi det ut hac morte, immo crudelissima martyrum morte moriar pro te?

Aspiratio 14ta.

O Jesu spes mea, vita mea, salus mea. Tu es Jesus meus & omnia. Tu es Deus meus & omnia, sine te crucior, in te reficior ô Jesu mi. Sine te sitio, in te me satio ô Jesu mi. O Jesu esto mihi propitius & da mihi teipsum.

Aſpiratio 15ta.

O Pater Cœleſtis, Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, reſpice in faciem Chriſti, dilectisſimi Filii tui, pro me humiliati, exinaniti, percusſi, ligati, vulnerati, conſputi, alapizati, lacerati, occiſi & ignominioſisſimè mortui; & propter hæc amoris ſigna quæ in ejus pasſione mihi oſtendiſti, miſerere mei, parce peccatis meis, & da mihi ſortem cum filio tuo.

Aſpiratio 16ta.

O Amor increate, Amor Dulcisſime Spiritus S. O conſolator optimè, Dulcis hoſpes animæ, Dulce refrigerium. O Lux beatisſima, te mea ſitit & quærit peccatrix & miſera anima; adeſto mihi, & tanquam piisſima Mater, in judicio meo futuro, immenſæ bonitatis & Clementiæ tuæ pallio, tege, & ſimul dele mea magna & innumera crimina.

Aſpiratio 17ma.

O Jeſu mi Dulcisſime, ſpes ſuſpirantis animæ, Te meæ quærunt lacrymæ; adeſto mihi, parce mihi, & ſalva me.

Aſpiratio 18ma.

O Deus Miſericordisſime, propter multitudinem peccatorum meorum, non audeo cum Publicano levare oculos meos in Cœlum; ſed cum eodem percutiens pectus meum dico contritus; Deus propitius eſto mihi peccatori. Tu Deus piisſime, qui cor contritum&humiliatum non deſpicies, &meum non deſpicias,ſed me juſtificatum in domum tuam intrare jubeas.

Aſpiratio 19ma.

O Jeſu mi Dulcisſime qui pro me in Horto & in Cruce amarisſimè agoniſaſti, rogo te per illum amorem, quem tunc erga homines habuiſti: quatenus utraque agonia tua amarisſima, conſoletur & juvet me agonizantem in omnibus amaritudinibus & anguſtiis meis; & det mihi feliciter finire vitam meam.

Aſpiratio 20ma.

O Jeſu Fili Dei, qui propter me in medio latronum, tanquam maximus latro in cruce pependiſti, & expiraſti; ut me ex latrone faceres Filium Dei, & cohæredem tuum Regni Cœleſtis, deprecor, te ut

per

per hanc immenſam ignominiam tuam; me electis, & ſanctis tuis in Cœlo aſſociare digneris.

Aſpiratio 21ma.

Eia Miſericordiſſime Jeſu illos tuos Miſericordes oculos ad me converte; & te mihi in judicio tuo benignum oſtende. O Clemens, ô pie, ô dulcis Fili Mariæ.

Aſpiratio 22ma.

O Jeſu Clementiſſime audi me gementem exaudi me deprecantem: & quia non ſum exaudiri dignus, en ſanguis tuus copioſiſſimè effuſus clamat pro me. Exaudi, exaudi, Miſerere mei & ſalva me.

Aſpiratio 23ma.

O Jeſu benigniſſime, ſcio quia juxta verba tua in manibus tuis deſcripſiſti me. Clavi & vulnera ſunt literæ nominis mei. Lege hanc ſcripturam; aſpice manus tuas clavis perforatas, & me à morte æterna libera, ac à pœnis quas pro peccatis merui benignus abſolve.

Aſpiratio 24ma.

O Jeſu Amabiliſſime, ſcio quia non merui videri vultum tuum, niſi ſeverum &

iratum propter peccata mea; ſed reſpice in faciem tuam, factam pro me pallidam, exhauſtam, toties graviſſimè percuſſam, contuſam, lividam, conſputam, vulneratam, ſanguinolentam, languentem & emortuam; & ſic placare, atque mihi ſereniſſimum & Clementiſſimum tuum vultum oſtende.

Aſpiratio 25ma.

O Jeſu Salvator Dulciſſime, agnoſco quia toties te graviſſimè offendendo promerui mortem æternam in inferno; ſed ecce mors tua ſanctiſſima, quam ſuſtinuiſti pro me turpiſſimam, ignominioſiſſimam, crudeliſſimam doloroſiſſimam, amariſſimam: propter hanc te obſecro, da mihi ut non moriar in æternum, ſed tecum vivam in æternitate tua amæniſſima.

Aſpiratio Vltima.

Educ Domine de cuſtodia, & de tam ſqualido carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Me expectant juſti donec retribuas mihi. Et ego in manus tuas commendo ſpiritum meum Dulciſſime Jeſu. Recipe & ſuſcipe me, & da

mihi

mihi partem tecum; ut portio mea ſit in terra viventium.

O Maria ſis mihi nunc & poſt mortem propitia. Maria mater gratiæ, Mater Miſericordiæ. Tu me ab hoſte protege. Et hinc egreſſum ſuſcipe.

Subvenite Sancti Dei. Occurrite Angeli Domini. Adeſte & juvate ſancti Patroni mei.

O Jeſu, ſis mihi Jeſus. Jeſus, Jeſus Jeſus; Jeſus MARIA.

ACTIO XXXI.

Adſtantes orant devotè pro ſervo Agonizante.

SCribit Olaus Magnus Lib. 21. cap. I. in Oceano Norvegiano reperiri quoddam genus ſeu ſpeciem Piſcium, faciem humanam habentium, quorum tanta eſt inter ſe amicitia, & innatus amor: ut dum aliquis ipſorum á nautis capiatur ſtrepens, & certis ſignis ſe captum eſſe oſtendens, continuò reliqui omnes ejusdem ſpeciei piſces catervatim accurrant, fremant, captivum piſcem tanquã fratrem vel ſororẽ juvare, & eliberare totis viribus contendant: in

in tantum ut etiam cymbam cum nautis ſint everſuri, donec captivum libertati & ſaluti reſtituant. Ubi autem captivus piſcis, liber in mare abire permittitur, conquieſcit totius illius gregis piſcium furor. Et nonne major debet eſſet amor & intimus affectus piſcium rationalium inter ſe, qui in aquis ſacri Baptiſmatis in Spiritu Deo nati ſunt, Chriſtianorum ſcilicet fidelium Catholicorum. Ergo dum hic aliquis piſcis ab inevitabili piſcatore videlicet Morte capitur; ac morbis, doloribus anguſtiis extremis affligitur, ac in periculo maximo ſalutis verſatur, cæteri piſces liberi, fideles ſani debent accurrere in ſubſidium capti, ſcilicet agonizantis: moribundum non tanquam oves moribundæ circumſtare, vel ſolum flere; ſed eum, piis exhortationibus (ſi eſt capax allocutionis) juvare, pro eo Deum devotè & inſtanter exorare, ſanctisſimam Dei Matrem, aliosque ſanctos, ut ei adſint invocare; ut ſecurus hinc migret, & tandem ſalute æterna potiatur.

Oratio 1ma.

Imploramus Miſericordisſime Deus im-

immenſam Clementiam tuam: & pro tua pietate aures benignisſimæ Miſericordiæ tuæ precibus noſtris licet indignis, quas coram tua Divina Majeſtate effundimus pro ſalute hujus miſeri agonizantis fratris noſtri N. Miſerere Piisſime Domine famulo tuo; & eum extremis afflictionis, anguſtiis & periculis laborantem juva, defende, ſolare, benignè ſuſcipe, à peccatis clementer abſolve; & tandem in Paradiſi deliciis eundem propitius reſpirare concede; per abyſſum Miſericordiæ tuæ. Miſerere Domine Jeſu, Miſerere; Miſerere famulo tuo, quem tuo ſanguine redemiſti Chriſte, & ne in judicio tuo, ac in æternum iraſcaris ei: ſed ei benignisſimam oſtende faciem, ac in domum tuam æternæ felicitatis ſuſcipe. Amen Amen.

Oratio 2da ad Deum Patrem

O Pater, æterne Deus, Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, tuam deprecamur Divinam bonitatem, per viſcera Miſericordiæ tuæ & charitatem quam habes erga genus humanum ut pro eo redimendo Unigenitum tuum filium dares

in mortem crudelisſimam ; deprecamur pro hoc famulo tuo. Oſtende ô Pater Clementisſime in hac hora pietatis tuæ abysſum ; & oſtende charitatis tuæ dulcedinem in hanc Creaturam tuam, quæ nunc ad te Patrem ſpirituum redit. Oſtende illi lucem Miſerationum tuarum, conforta mentem illius in te, intellectum ejus illumina, voluntatem inflamma, ac penes te ſummum bonum conſerva. Protege eum ab omni adverſa poteſtate, à tentationibus Satanæ, & ab omni occurſu malo. Non ſecundum peccata ejus judices eum, ſed ſecundum multitudinem Miſerationum tuarum indulge illi & parce: ſpiritum ejus in ſanctisſimæ dilectionis tuæ brachia ſuſcipe. Hoc à te humiliter poſcimus per Unigenitum Filium tuum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per pasſionem & ſanguinem ejus, per mortem & omnia merita illius, cum quo & Spiritu S. vivis & regnas in æternum unus & ſummus Deus.

Oratio 3tia ad Deum Filium.

Supplicamus proſtrati ô Fili Dei, & noſter Domine Jeſu Chriſte per temetipſum

qui es propitiatio pro peccatis noſtris; per charitatem ineffabilem quâ nos miſeros homunciones dilexiſti, ut propter nos ſalvandos in mundum deſcenderes, homo factus, caro noſtra, & frater noſter fieres, nos ſanguine tuo & morte turpisſima & crudelisſima redimeres; per merita tua, & omnia beneficia ſanctisſimæ incarnationis tuæ & Redemptionis noſtræ à te nobis præſtita; nec non per Dilectisſimam tibi Matrem tuam Dei genitricem Mariam, ac per merita & dolores ejus quos te patiente, præſertim tempore mortis tuæ amarisſimæ paſſa eſt; ſupplicamus pro agonizante famulo tuo & fratre noſtro. Præpara ô Miſericordisſime Jeſu, animam ejus, non ad iratam ſed ad benignam videndam faciem tuam; converte cor ejus ad te, ut ſine vero dolore, pro peccatis ac ardenti amore tui ex hac vita non decedat. Mitte ei ô Dulcisſime ſalvator hac horâ pro itinere tam periculoſo auxilium gratiæ, à throno gloriæ tuæ; manus tua fortis deducat eum ſecurum ad te, Pasſio tua confortet eum, merita tua ſuppleant omnem defectum

ejus, mors tua crudelissima efficiat ut in judicio tuo audiat ex ore tuo dulcissimo decretum desiderabile: Vivat hæc anima & non moriatur. Amen Amen. Fiat fiat Misericordissime Jesu.

Oratio 4ta ad Deum Spiritum S.

O Spiritus Sancte unus & verus cum Patre & Filio Deus, qui es fons bonitatis & omnis veræ dulcedinis, obsecramus te per immensam charitatem tuam quâ mansionis tuæ dignos visitare, mœstosque & afflictos consolari soles. Adesto huic famulo tuo & fratri nostro undequaque afflicto & angustiato. Sentiat anima ejus tuam piissimam Clementiam, dulcedinem & propitiationem; Conforta & erige eum contra omnia adversa, præsertim contra tremendam dæmonum potentiam. Mitte in eum divinæ lucis tuæ radium, ad depellendam omnem tenebrarum Caliginem. Emolli durum cor ejus, & tange illud dolore vero pro peccatis, atq; vulnera ignito telo amoris Dei. Effunde in animam illius divitias gratiæ tuæ; riga eam ubere lacrymarum imbre, ut contrita & lota, mereatur

pura

pura ad ſuum puriſſimum venire principium, Deum Creatorem. Amen.

LITANIÆ
De Domino JESV Chriſto.
Pro Agonizante.

Kyrieeleyſon. Chriſteeleyſon. Kyrieeleyſon
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus.
Sancta Trinitas unus Deus.
Jeſu Fili Dei vivi.
Jeſu potentiſſime
Jeſu Fortiſſime.
Jeſu Perfectiſſime,
Jeſu Glorioſiſſime.
Jeſu Jucundiſſime.
Jeſu Chariſſime.
Jeſu Clarior ſole,
Jeſu Pulchrior lunâ.
Jeſu ſplendidior ſtellis.
Jeſu Admirabilis.
Jeſu Delectabilis.
Jeſu Honorabilis.
Jeſu Humillime.
Jeſu Pauperrime.
Jeſu Mitiſſime.
Jeſu Patientiſſime.
Jeſu Obedientiſſime.

Miſerere nobis.

Miſerere nobis.

JESU Castissime.

JESU.	Amator castitatis.	Miserere nobis.
	Amator pacis.	
	Amator noster.	
	Speculum Vitæ.	
	Exemplar virtutum.	
	Decus morum.	
	Zelator animarum.	
	Refugium nostrum.	
	Pater pauperum.	
	Consolator afflictorum.	
	Thesaurus fidelium.	
JESU.	Gemma pretiosa.	Miserere nobis.
	Armarium perfectionis.	
	Bone pastor ovium.	
	Stella maris.	
	Lux vera.	
	Sapientia æterna.	
	Bonitas infinita,	
	Gaudium Angelorum.	
	Rex Patriarcharum.	
JESU,	Inspirator Prophetarum.	Miserere nobis.
	Magister Apostolorum.	
	Doctor Evangelistarum.	
	Fortitudo Martyrum.	
	Lumen Confessorum.	
	Sponse Virginum.	
	Corona Sanctorum omnium.	

Propitius esto. Parce nobis Jesu.
Propitius esto. Exaudi nos Jesu.

Ab omni malo. Libera nos Jesu.
Ab omni peccato.
Ab ira tua.
Ab insidiis diaboli.
Ab incursu omnium malorum.
A sententia tua terribili.
A damnatione æterna.
A morte perpetua.
Per Viscera Misericordiæ tuæ.
Per incarnationem tuam.
Per Nativitatem tuam.
Per Circumcisionem tuam.
Per Sanctissimum Nomen tuum.
Per amabilissimam infantiam tuam.
Per labores tuos.
Per dolores tuos.
Per lacrymas tuas.
Per flagella tua.
Per livores tuos.
Per vulnera tua.
Per Sanguinem tuum.
Per totam Passionem tuam.
Per Crucem & mortem tuam.
Per Resurrectionem tuam.
Per Ascensionem tuam.
Per Gaudia tua.
Per Gloriam tuam.
Per Dulcissimam Virginem Matrem tuam.
Per intercessionem SS. omnium.
Peccatores. Te rogamus audi nos.

Libera nos Jesu.

Libera nos Jesu.

Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas. Te rogamus audi nos.
Ut nobis in agone mortis benignè assistere digneris. Te rogamus.
Ut Nomen tuum sanctissimum Jesus viventes & morientes in corde & ore habeamus. Te rogamus.
Ut semper benignissime Jesu, sis nobis Jesus. Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Jesu
Agnus Dei &c. Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei &c. Miserere nobis Jesu.
Jesu Christe audi nos. Jesu Christe exaudi nos.
Kyrieelyson. Christeeleyson. Kyrieeleyson.
Pater noster &c. Et ne nos inducas in tentationem sed libera nos à malo.

Exurge Christe adjuva nos.
Et libera nos propter Nomen tuum.
Domine exaudi orationem nostram
Et clamor noster ad te veniat.

Oremus.

Christe Jesu Crucifixe, in unione ferventissimi amoris, qui te vitam omnium viventium in cruce mori coegit, pulsamus ad medullam benignissimi cordis tui, & rogamus, ut animæ famuli tui, fratris nostri N. peccata omnia dimittas, & tua sanctissima conversatione, & tuæ acerbissimæ Passionis merito omissa ej9 suppleas, eum-

que

que ſuper abundantisſimam miſerationum tuarum multitudinem facias experiri, nosque omnes, & ſingulariter hunc fratrem noſtrum N. quem proximè vocare diſponis, placido tibi modo præpares, eiq; præſtes, ut cum vera pœnitentia, perfecta in tuam voluntatem reſignatione, plena peccatorum remisſione, validisſima fide, ſpe firma, charitate perfecta, in dulcisſimum amplexum, & ſuavisſimum oſculum tuum feliciter ad tuam æternam laudem expiret.

Eia Dulcisſime Redemptor, Domine Jeſu per illas lacrymabiles voces, quas in Cruce moriturus edidiſti, & Pasſionis doloribus conſumptus dixiſti: Deus meus, Deus meus ut quid me dereliquiſti, ne quæſumus longè facias à famulo tuo fratre noſtro N. tuæ miſerationis auxilium; nam ille in hac hora, & momento extremæ afflictionis præ defectione animæ, & conſumptione ſpiritus te invocare non valet. Per triumphum Sanctæ Crucis, & per mortis, Pasſionisque tuæ infinitum meritum cogita Domine de eo cogitationes pacis, & non afflictionis, ſed miſericordiæ

& consolationis. Libera eum de omnibus angustiis; & tuis sanctissimis manibus, quas pro eo nobisque omnibus in cruce clavis affigi permisisti, Jesu bone, & amantissime Pater erue eum à tormentis illi debitis; & perduc illum in Requiem æternam. Amen.

LITANIÆ

De Beatissima Virgine, Matre Dei Maria, Communes.

Kyrieeleyson. Christeeleyson. Kyrieeleyson. Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus S. Deus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere nobis.
Sancta Maria.
Sancta Dei Genitrix.
Sancta Virgo Virginum.
Mater Christi.
Mater divinæ gratiæ.
Mater purissima.
Mater Castissima.
Mater inviolata.
Mater intemerata.
Mater amabilis.
Mater admirabilis.
Mater Creatoris.

Ora pro nobis.

Mater Salvatoris.
Virgo prudentissima.
Virgo Veneranda.
Virgo Prædicanda.
Virgo Potens.
Virgo Clemens.
Virgo fidelis.
Speculum justitiæ.
Sedes Sapientiæ.
Causa nostræ lætitiæ.
Vas spirituale.
Vas honorabile.
Vas insigne devotionis.
Rosa mystica.
Turris Davidica.
Turris eburnea.
Domus aurea.
Fœderis arca.
Janua Cœli.
Stella matutina.
Salus infirmorum.
Refugium peccatorum.
Consolatrix afflictorum.
Auxilium Christianorum.
Regina Angelorum.
Regina Patriarcharum.
Regina Prophetarum.
Regina Apostolorum.
Regina Martyrum.
Regina Confessorum.

Ora pro nobis.
Ora pro nobis.
Ora pro nobis.

Regina Virginum. Ora pro nobis.
Regina SS. omnium. Ora pro nobis.
Spes periclitantium. Ora pro nobis.
Advocata reorum. Ora pro nobis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Dn.
Agnus Dei &c. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei &c. Miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Kyrieeleyſon. Chriſteeleyſon. Kyrieeleyſon.

Supplicatio.

Sub tuum præſidium confugimus Sancta Dei Genitrix. Noſtras deprecationes ne deſpicias in necesſitatibus; ſed à periculis cunctis libera nos, & præcipuè hunc extremè laborantem & deficientem fratrem noſtrum N. Virgo ſemper glorioſa & benedicta Tuus ille fuit famulus & devotus amator ô Virgo amabilisſima, igitur adeſto Clementisſima Domina ſervulo tuo ſummè indigenti, & gravisſimè periclitanti. Tuus eſt ille filius, quem cum tantis doloribus ſub cruce, una cum moriente Filio tuo perperiſti. Monſtra te ergo eſſe Matrem, ô benedicta Mater. Sumat per te preces pro eo ſalvando, qui propter illum, tuus eſſe voluit Filius, atque mori crudelisſimè dignatus eſt.

Anti-

Antiphona.

Stella Cœli reparavit quæ lactavit Dominum Vitam nobis, quam perdidit primus parens hominum. Ipſa ſtella nunc dignetur Jeſum nobis placare. Quem peccatis offendimus, ut nos velit Salvare. O piisſima ſtella maris à morte æterna ſuccurre nobis. Audi nos Domina, nam Filius tuus, nihil negans te honorat. Salva nos Jeſu, pro quibus, Virgo Mater te orat.

Ora pro nobis S. Dei Genitrix.
Ut digni efficiamur promisſionibus Chriſti.
In omni tribulatione & anguſtia noſtra.
Succurre nobis piisſima Virgo Maria.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus Miſericordiæ Deus pietatis, Deus indulgentiæ qui miſertus es ſuper æternam perditionem generis humani; & propter hominem voluiſti in mundum deſcendere, humiliari, adverſa quæque pati, tormentis cruciari, morte crudelisſima & ignominioſisma mori: quiq; ſuper miſeriam hominis toties fleviſti; & miſericordiâ motus, matri filium mortuum

 flenti

flenti dixisti: Noli flere; ac languente & deficiente populo devoto indoluisti dicens Misereor super turbam. Ob viscera illius misericordiæ tuæ: & ob amorem illius stellæ gloriosæ, dulcissimæ tuæ Matris cujus ubera pretiosa, contra venenum peccatorum nostrorum, quam dulciter suxisti, præsta auxilium gratiæ tuæ huic agonizanti famulo tuo, fratri nostro N., ut in suis extremis, & maximis angustiis, à te misericordissimo Domino reficiatur, adjuvetur, ab insultibus diaboli protegatur, in judicio tuo, à sententia mortis & perditionis æternæ incursu liberetur, ac tandem in æternum misericorditer salvetur. Per te Jesu Christe, Rex Gloriæ. Qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

Antiphona.

Qui passus es pro nobis, Jesu Christe miserere nobis. Qui passus es pro nobis Jesu Christe miserere nobis. Qui passus es pro nobis Jesu Christe miserere nobis.

Exurge Christe adjuva nos.
Et libera nos propter nomen tuum.
Domine exaudi orationem nostram.
Et Clamor noster ad te veniat,

Ore-

Oremus.

Pie Jesu Domine, per amarissimam utramque agoniam tuam, quam sustinuisti in Horto & Cruce; & per sanguinem tuum quem utrobique copiosissimè effudisti, dele hujus famuli tui, & fratris nostri N. agonizantis omnia peccata ejus.

Pater noster &c. Ave Maria &c.

Pie Jesu Domine, per acerbissimas pœnas tuas, totamq; Passionem & mortem tuam, libera hunc famulum tuum, & fratrem nostrum N. agonizantem ab omnibus pœnis, quas pro suis peccatis meruit.

Pater noster &c. Ave Maria &c.

Pie Jesu Domine, per charitatem tuam immensam, quam ostendisti erga nos in Redemptione nostra, aperi huic famulo tuo, & fratri nostro N. agonizanti, januas Cœlestis paradisi post mortem; & cum sanctis tuis dona ei requiem sempiternam.

Pater noster &c. Ave Maria &c.

Hanc oratiunculam trinam, profuisse ad salutem cuidam Papæ scribit Augustinus Palaminus Ordinis; Prædicatorum. Et contigisse Anno 1610. Nam propter pri-

mam

mam Christus prædicti Papæ delevit omnia ejus peccata. Propter secundam, remisit pœnas pro peccatis debitas. Propter tertiam Cœlum ipsi aperuit. Ita ille. Piè credendum, & effectus orationis intensissimo amoris affectui adscribendus.

ACTIO XXXII.

seu

Commendatio Animæ Communis ex Breviario Romano.

LITANIÆ.

KYrieeleyson, Christeeleyson, Kyrieeleyson
Sancta Maria. Ora pro eo.
Omnes SS. Angeli & Archangeli. Orate pro eo.
Sancte Abel. Ora pro eo.
Omnis chorus justorum. Ora pro eo.
Sancte Abraham. Ora pro eo.
Sancte Joannes Baptista. Ora pro eo.
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ. Orate pro eo
Sancte Petre. Ora pro eo.
Sancte Paule. Ora pro eo.
Sancte Andrea. Ora pro eo.
Sancte Joannes. Ora pro eo.
Omnes Sancti Apostoli & Evangelistæ. Orate pro eo.
Omnes Sancti Discipuli Domini. Orate pro eo.
Omnes Sancti Innocentes. Orate pro eo.
Sancte Stephane. Ora pro eo.

Sancte

Sancte Laurenti. Ora pro eo.
Omnes S. Martyres. Orate pro eo.
Sancte Sylveſter. Ora pro eo.
Sancte Gregori. Ora pro eo.
Sancte Auguſtine. Ora pro eo.
Omnes SS. Pontifices & Confeſſores. Orate pro eo.
Sancte Benedicte. Ora pro eo.
Sancte Franciſce. Ora pro eo.
Omnes SS. Monachi & Eremitæ. Orate pro eo.
Sancta Maria Magdalena. Ora pro eo.
Sancta Lucia. Ora pro eo.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ. Orate pro eo.
Omnes SS. & Sanctæ Dei. Intercedite pro eo.
Propitius eſto. Parce ei Domine.
Propitius eſto. Libera eum Domine.
Propitius eſto. Libera eum Domine.
Ab ira tua. Libera eum Domine.
A periculo mortis. Libera eum Domine.
A mala morte. Libera eum Domine.
A pœnis inferni.
Ab omni malo.
A poteſtate diaboli.
Per Nativitatem tuam.
Per Crucem & Paſſionem tuam.
Per mortem & ſepulturam tuam.
Per glorioſam Reſurrectionem tuam.
Per admirabilem aſcenſionem tuam.
Per gratiam Spiritus S. Paracliti.
In die judicii.
Libera eum Domine.
Peccatores. Te rogamus audi nos.

Ut

Ut ei parcas. Te rogamus audi nos.
Kyrieeleyſon. Chriſteeleyſon. Kyrieeleyſon.

Orationes.

Dum in agone ſui exitus anxiatur anima.

Proficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo in nomine Dei Patris omnipotentis qui te creavit: in nomine Jeſu Chriſti Filii Dei vivi qui pro te paſſus eſt: in nomine, Spiritus S. qui in te effuſus eſt: in nomine Angelorum & Archangelorum: in nomine Thronorum & Dominationum: in nomine Principatuum & Poteſtatum: in nomine Cherubim & Seraphim: in nomine Patriarcharum & Prophetarum: in nomine Sanctorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum: in nomine SS. Martyrum & Confeſſorum: in nomine SS. Monachorum & Eremitarum: in nomine ſanctarum Virginum & omnium ſanctorum & ſanctarum Dei. Hodie ſit in pace locus tuus, & habitatio tua in ſancta ſyon. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oratio.

Deus Miſericors, Deus Clemens, Deus qui

qui ſecundum multitudinem miſeratio-
num tuarum, peccata pœnitentium deles,
& præteritorum Criminum culpas veniâ
remisſionis evacuas: reſpice propitius ſu-
per hunc famulum tuum N. & remisſio-
nem omnium peccatorum ſuorum, tota
cordis confesſione poſcentem deprecatus
exaudi. Renova in eo piisſime Pater, quid-
quid terrena fragilitate corruptum, vel
quidquid diabolica fraude violatum eſt:
& unitati corporis Eccleſiæ, membrum re-
demptionis annecte. Miſerere Domine ge-
mituum, miſerere lacrymarum ejus: &
non habentem fiduciam niſi in tua miſe-
ricordia, ad tuæ Sacramentum reconcilia-
tionis admitte. Per Chriſtum Dominum
noſtrum. Amen.

Commendo te Omnipotenti Deo cha-
risſime frater, & ei cujus es Creatura com-
mitto: ut cum humanitatis debitum morte
interveniente perſolveris, ad authorem
tuum, qui te de limo terræ formaverat
revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ
de corpore, ſplendidus Angelorum cœtus
occurrat: Judex Apoſtolorum tibi ſenatus
ad-

adveniat: Candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet, liliata rutilantium te confeſſorum turma circumdet: jubilantium te Virginum chorus excipiat, & beatæ quietis in ſinu Patriarcharum te complexus aſtringat: mitis atque feſtivus Chriſti Jeſu tibi aſpectus appareat, qui te inter asſiſtentes tibi jugiter intereſſe decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod ſtridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum ſatellitibus ſuis; in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus & disſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus ſicut deficit fumus deficiant; ſicut fluit Cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei: & juſti epulentur & exultent in conſpectu Dei. Confundantur igitur & erubeſcant omnes tartareæ legiones, & miniſtri Satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te à Cruciatu Chriſtus, qui pro te Crucifixus eſt. Liberet te ab æterna morte Chriſtus, qui pro te

mori

mori dignatus eſt. Conſtituat te Chriſtus Filius Dei vivi intra Paradiſi ſui ſemper amæna virentia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnoſcat: ille ab omnibus peccatis tuis te abſolvat; atque ad dexteram ſuam in electorum ſuorum te ſorte conſtituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præſens ſemper asſiſtens, manifeſtisſimam beatis oculis aſpicias veritatem. Conſtitutus igitur inter agmina beatorum contemplationis divinæ dulcedine potiaris in ſecula ſeculorum. Reſp. Amen.

Oratio.

Suſcipe Domine ſervum tuum in locum ſperandæ ſibi ſalvationis à Miſericordia tua. Reſp Amen.

Libera Domine animam ſervi tui ex omnibus periculis infirmi & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. Reſp. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui ſicut liberaſti Enoch & Eliam de communi morte mundi. Reſp. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Noe de diluvio. Reſp. Amen.

Li-

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Vir Chaldæorum. Resp. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Job de passionibus suis. Resp. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia, de manu Patris sui Abrahæ. Resp. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis & de flamma ignis. Resp. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis, Regis Ægiptiorum. Resp. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum. Resp. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis & de manu Regis iniqui. Resp. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. Resp. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti David, de manu Regis Saul & de manu Goliæ. Resp. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Petrum & Paulum de Carceribus. Resp. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam Virginem & Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam hujus servi tui & tecum facias in bonis congaudere Cœlestibus. Resp. Amen.

Oratio.

Commendamus tibi Domine animam famuli tui N. precamurq; te Domine Jesu Christe Salvator mundi ut propter quam ad terram misericorditer descendisti Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine Creaturam tuam, non à diis alienis creatam, sed à te solo Deo vivo & vero; quia non est alius Deus præter te, & non est secundum opera tua. Lætifica Domine animam ejus, in conspectu tuo, & ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, & ebrietatum, quas

quas ſuſcitavit furor, ſive feruor mali deſiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem & Filium & Spiritum S. non negavit, ſed credidit, & Zelum Dei in ſe habuit, & Deum qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Oratio.

Delicta juventutis & ignorantias ejus, quæſumus ne memineris Domine, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam, memor eſto illius in gloria charitatis tuæ. Aperiantur ei Cœli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum Domine ſervum tuum ſuſcipe. Suſcipiat eum S. Michael Archangelus Dei qui militiæ Cœleſtis meruit principatum. Veniant illi obviam Sancti Angeli Dei, & perducant eum in Civitatem Cœleſtem Jeruſalem. Suſcipiat eum beatus Petrus Apoſtolus, cui à Deo claves regni Cœleſtis traditæ ſunt. Adjuvet eum S. Paulus, qui dignus fuit eſſe vas electionis. Intercedat pro eo S. Joannes, electus Dei Apoſtolus, cui revelata ſunt ſecreta Cœleſtia. Orent pro eo omnes S. Apoſtoli, quibus à Domino data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi. Intercedant

cedant pro eo omnes ſancti & electi Dei, qui pro Chriſti nomine tormenta in hoc ſeculo ſuſtinuerunt; ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad gloriam regni Cœleſtis, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Si anxiatur adhuc anima dicuntur hi Pſalmi videlicet: Confitemini Domino 17. Et totus Pſalmus 118. Beati immaculati per horas diſtributus. Et Pſalmus 21. Deus Deus meus.

Egreſſa autem anima dicitur hoc Reſponſorium.

Subvenite Sancti Dei, Occurrite Angeli Domini ſuſcipientes animam ejus: offerentes eam in conſpectu Altisſimi. Suſcipiat te Chriſtus, qui vocavit te, & in ſinum Abrahæ Angeli deducant te. Suſcipientes animam ejus, offerentes eam in conſpectu Altisſimi. Requiem æternam dona ei Domine. Et lux perpetua luceat ei. Offerentes eam in conſpectu Altisſimi.

Kyrieeleyſon, Chriſteeleyſon, Kyrieeleyſon. Pater noſter &c.

Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Requiem æternam dona ei Domine. Et lux perpetua luceat ei.

A porta inferi. Erue Domine animam ejus. Requiescat in pace. Amen. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui N. ut defunctus seculo, tibi vivat: & quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum quæsumus tua judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio Fidei Christianæ commendat: sed gratia illi succurrente, mereatur evadere judicium ultionis; qui dum viveret, insignitus est signaculo sanctissimæ Trinitatis. Qui vivis & regnas in secula seculorum.

PSALMUS.

Deprofundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit.

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A Cuſtodia matutina usque ad noctem: ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum Miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Verſ. Requiem æternam dona ei Domine.

Reſp. Et lux perpetua luceat ei.

Verſ. A porta inferi.

Reſp. Erue Domine animam ejus.

Requieſcat in pace. Amen.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.

Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Verſ. Dominus Vobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus cui proprium eſt miſereri & parcere, te ſupplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc ſeculo migrare juſtiſti: ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviſcaris in finem; ſed jubeas eam à Sanctis Angelis ſuſcipi, & ad patriam paradiſi perduci, ut quia in te ſperavit & credidit, non pœnas inferni ſuſtineat, ſed gaudia ſempiterna posſideat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Inclina Domine aurem tuam ad preces noſtras quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ut animam famuli tui N. quam hodie de hoc ſeculo migrare juſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & ſanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Abſolve quæſumus Domine animam famuli tui ab omni vinculo delictorum ut in Reſurrectionis gloria inter ſanctos & electos

electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum Amen.

Vers. Requiem æternam dona ei Domine.

Resp. Et lux perpetua luceat ei.

Requiescat in pace Resp. Amen.

Anima ejus & animæ omnium fidelium defunctorum per Misericordiam Dei requiescant in pace: Resp. Amen.

INSTRUCTIO NECESSARIA.

Sacerdoti, circa Sacramenta administranda Moribundis.

SAcramenta quæ possunt moribundis ministrari sunt quatuor, scilicet: Baptismus, Pænitentia, Eucharistia & Extrema Unctio. Circa quorum administrationem, quia occurrunt difficultates, & dubia practica, de quibus quia scientia non habetur, non raro Ministrum sacramentorum contingit errare. Ne ergo erretur, & Moribundi dispendium salutis patiantur, pono in assertionibus & resolutionibus occurrentium difficultatum doctri-

nam, non tam meam, quam Doctorum gravissimorum circa administrationem prædictorum sacramentorum.

§. I.
THESES INSTRUCTORIÆ
Circa Baptismum, Moribundis administrandum.

I.

Sicut laicus ita Sacerdos in peccato mortali existens, baptizans in casu necessitatis, sine solemnitate, non peccat. Quia non agit ut Minister ex officio, sed necessitati infantis subveniens.

II.

In necessitate, scilicet in periculo vel circumstantia mortis imminentis in baptizando, quando non potest haberi Baptismus certus, potest & debet adhiberi Baptismus probabilis & dubius. Quia lege charitatis debemus prospicere quantum possumus saluti proximi in periculo gravissimo, & extrema necessitate existenti: Ergo non tantum medio certo sed etiam dubio.

III.

Baptiſmus dubius eſt, 1mo. ſi fiat in Materia dubia, ſcilicet brodio ſeu juſculo carnis coctæ, lixivio. 2do. ſi tantùm una vel altera gutta ſit adhibita v. gr. ſi more aquæ luſtralis multitudo ſit aſperſa. 3tio. ſi tantum abluta ſit pars minùs principalis v. g. digitus, manus, pes. 4to. ſi tantum crines ſint tincti. 5to. ſi infans ſit tinctus adhuc obvolutus ſecund na ſua, id eſt pellicula corpori innata, cum qua jacebat in utero matris. 6to. Si adhibeatur Baptiſmus infanti adhuc in utero matris exiſtenti. 7mo. ſi adhibeatur forma Baptiſmi dubia, qualis eſt iſta: Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti & ſpirati. Vel: Baptizo te in nomine Ingeniti, geniti, & Doni. Vel: Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti. &c.

IV.

Utrum in neceſſitate, deficiente aqua naturali, & Elementari, poſſit adhiberi aqua artificialis, qualis eſt aqua roſacea, vel aqua aliorum florum ſive herbarum & plantarum, per deſtillationem elicita

tanquam materia dubia Baptiſmi? affirmant aliqui Doctores, ut Granado in 3. part. cap. 4. tract.I. diſt. 3. dub 2. Joannes Præpoſitus in 3. part. D. Thomæ quæſt. 66. artic. 4. Joannes Puteanus Theologiæ Profeſſor Regius in Academia Toloſana. Ratio ipſorum eſt: quia (inquiunt) non omnino conſtat, utrum illi liquores eliciti differant ſpecie ab aqua naturali: & quia Eccleſia hactenus non definivit ullo planè caſu, nullam aliam aquam à naturali ſufficere ad valorem Baptiſmi.

Verum ego aquam artificialem, & quemlibet liquorem, ex floribus, herbis, plantis, elicitum dico Materiam Baptiſmi non eſſe dubiam ſeu probabilem, ſed omnino nullam. Ratio eſt. Quia Eccleſia in Concilio Tridentino Seſſ. 7. Canon. 2. definit ad Baptiſmum neceſſariam eſſe aquam veram & naturalem, ſcilicet Elementarem, qualis non eſt aqua artificialis, & quilibet liquor, ex herbis & plantis elicitus. Deinde; manifeſtum eſt aquam artificialem, & alios liquores, ex herbis & plantis elicitos diſtingui ſpecie ab aqua naturali.

Nam

Nam aqua rosacea, & alii liquores ex herbis & plantis eliciti, non sunt aliud nisi substantiæ florum, herbarum & plantarum extractæ, has autem substantias, quis non dicet distingui specie à substantia aquæ naturalis. Et sic rationes allegatæ illorum Doctorum non valent. Ex quo sequitur, nec illum liquorem seu aquam dictam Polonicè oskuła, quæ tempore verno solet ex incisa betula fluere posse adhiberi pro Materia Baptismi dubia seu probabili.

V.

Baptismus sub conditione adhibendus, hac forma conferendus est: si baptizatus es, non te baptizo; si nondum es baptizatus. Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Licet autem sufficiat mente solum apponere conditionem, tamen tutiùs est eam exprimere verbis.

V I.

Perpetuò amentes, qui nunquam sunt usi ratione baptizari debent, quia censentur esse ejusdem conditionis cum infantibus. Si verò sunt usi ratione, non debent bapti-

zari, nisi ante amentiam baptismum petierint.

VII.

Baptismo conditionato, baptizandi sunt 1mo. Infantes expositi, & reperti sine schedula testante de Baptismo. 2do. Reperti quidem cum schedula, sed inter infideles v. gr. Turcas, Judæos, Arianos: nam isti ex odio baptismi, ne illo potiretur infans, potuerunt apponere schedulam testantem de puero baptizato. 3tio Infantes baptizati ab obstetricibus Maleficis, seu Sagis; vel ab istis quæ fassæ, vel convictæ fuerunt aliquando non rectè baptizasse. 4to. Infantes, de quibus est dubium, an vivant?

VIII.

Baptizandi sunt amentes, vel agonizantes sensibus destituti, qui ante Baptismum petierunt, ad quod sufficit testimonium unius, etiam mulieris.

IX.

Infantes infidelium invitis Parentibus validè, sed illicitè baptizantur. Ratio est: quia vel baptizati auferuntur à parentibus, & fit illis injuria. Vel relinquuntur, & fit

fit injuria sacramento propter irreverentiam: quia infans baptizatus, educatur tanquam infidelis.

X.

Pueri infidelium licitè baptizantur in his casibus. 1mo. Si parentes infideles sunt mancipia Christiani, volentis infantes eorum baptizari. Juris enim ejus sunt liberi, sicut & parentes. 2do. Si parentes aliquando fuerunt baptizati, vel saltem alteruter: quia propter Baptismum Ecclesia in eos jus habet. 3tio. Si alter parentum baptismum pro infante petat. 4to. Si infans sit in periculo mortis: tunc enim est jam extra potestatem parentum. 5to. Si puer jam compos rationis petat baptismum; ad quod septennium sufficit: quia tunc est sui juris quoad electionem religionis.

XI.

Ad certitudinem baptismi requiritur ea quantitas aquæ, ut aqua possit per corpus fluere, & homo dicatur lotus seu ablutus; baptismus enim est lotio, seu ablutio hominis.

In

XII.

In naufragio vel alio periculo mortis, poteſt quis plures unicâ forma baptizare dicendo: Ego vos baptizo &c. Quia nihil deeſt ad valorem ſacramenti; & extrema necesſitas efficit, ut talis modus baptizandi ſit licitus.

XIII.

Monſtrum moribundum ex homine, quod caput & pectus hominis refert, cætera vero membra habet beſtialia, baptizandum eſt ut verus homo; ſecus ſi habet caput & pectus ferinum. Ratio primi eſt; quia anima hominis principaliter reſidet in corde & capite: ergo cum monſtrum habet hominis caput & pectus ubi eſt cor, cenſenda eſt ibi anima hominis eſſe, & monſtrum illud cenſendum eſt eſſe verum hominem. Ratio 2di per oppoſitum patet. Quod ſi ſolum caput ferinum ſit, & mors immineat, detur baptiſmus ſub conditione; aliâs ſigna hominis expectentur. Monſtrum autem repertum in mari cum facie & aliqua ſpeciei hominis non eſt baptizandum, cum non ſit de ſemine hominis con-

ſequen-

ſequentur non homo; niſi adſint ſigna Rationalitatis & Honeſti; tunc enim præſumeretur natum eſſe caſu ex ſemine hominis.

XIV.

Si monſtrum habeat membra hominis geminata, & dubitetur, num ſit unus homo an duo, duplex baptiſmus conferendus eſt, unus abſolutè, alter conditionatè, ſcilicet in ea parte qua membra apparent imperfectiora.

XV.

In neceſſitate, ſine ſolemnitate poſſunt baptizare: ſacerdos etiam excommunicatus, Diaconus, quisque inferior clericus Religioſus, Laicus, Vir, Mulier: ita tamen ut præſente ſacerdote non baptizet diaconus, neque præſente diacono clericus, neque præſente clerico laicus, neque præſente viro mulier; niſi mulier eſſet prudentior, & ritè per praxim baptizare edocta, vir autem ſit ſimplex vel ſtolidus.

XVI.

In neceſſitate poteſt Pater ſuum infantem baptizare; nec tunc ullam contrahit

cum conjuge cognationem ſpiritualem, nec impeditur à petitione debiti conjugalis: quia tunc non agit ut miniſter ſolemnitatis, ſed necesſitatis.

XVII.

Cum infanti moribundo confertur baptiſmus, non ſunt neceſſarii Patrini; & ſi adhibeantur, non contrahunt cognationem ſpiritualem. Quia non exercetur baptiſmus ſolemnis, ubi ſolum requiruntur ex præcepto Eccleſiæ Patrini; & tunc contrahitur cognatio ſpiritualis.

XVIII.

Matre difficultatem patiente in partu, ſi timeatur ne infans ante egreſſum moriatur, baptizetur & abluatur in eo membro, in quo ex utero matris apparet, ne moriatur ſine baptiſmo.

XIX.

Infante valde debili vel infirmo exiſtente, ſi timeatur ne baptiſmus ſit cauſa mortis illius, & baptiſmus poteſt differri, differatur aliquantiſper. Si vero ſit periculum in mora, baptizetur infans, etiamſi acceleratio adſit mortis; nec irregularitas

in-

incurrenda timeatur: nullum enim est hîc homicidium.

XX.

Baptizandi adulti, debent instituì & probari per aliquot menses ante baptismum. At si urgeat necessitas obsidionis vel naufragii, vel similis periculi mortis, tunc exposita fide utcunque, si petens baptismum assentiatur, est baptizandus.

XXI.

Baptizandus baptismo dubio, orto ex quacunque ratione dubietatis, non est Ecclesiastica sepultura privandus; probabiliter enim censetur esse filius Ecclesiæ.

XXII.

Infans ad quem propter pestem, vel aliam causam non patet accessus, & per aspersionem, vel affusionem aquæ potest à longè baptizari.

XXIII.

Si baptismus deprehendatur esse invalidus, non ideo repetendæ sunt Cæremoniæ in baptismo adhiberi solitæ.

THE-

§. II.

THESES INSTRUCTORIÆ

Circa Sacramentum Pœnitentiæ moribundis administrandum.

I.

AD absolutionem sacramentalem cujuslibet pœnitentis etiam moribundi, confiteri ore non valentis requiritur dolor de peccatis. Ita Trident. Sess. 14. de Pœnit Sacr. Can. 4. Deinde requiritur confessio peccatorum in eodem Trident. can. 9. ibid. Requiritur inquam confessio peccatorum vel formalis & expressa, cum accusatione sui ore facta, vel æquivalens scilicet desiderata, petita, ostensa per tunsionem pectoris vel alia signa doloris in ordine ad confitendum sacramentaliter. Unde.

II.

Moribundus qui cum loqui non possit, pectus manu tundit, & nutibus absolutionem petit absolvendus est sacramentaliter: & idem est de eo qui genibus sacerdotis advolutus, peccata confessurus subitò apoplexia corripitur. Ratio est: quia in utroque

que casu moribundus ostendit se dolere, & reum se coram judice spirituali per signa externa confitetur.

III.

Moribundus qui absente confessario, confessionem desideravit, petiit ac signa doloris ostendit, testante hoc saltem uno teste, sive ille testimonium præbuerit confessario adstanti coram moribundo, sive absenti ab illo, est absolvendus absolutè. Quia moribundus petendo confessionem fatetur se peccasse & pro peccatis dolet.

IV.

Moribundus linguæ usu destitutus, si pugno pectus pulsat, suspirat, oculos ad Cœlum attollit; & si advertatur hoc facere in ordine ad confessionem sacramentalem, quam facere vellet si loqui posset, absolvendus est absolutè: quia adsunt requisita ad absolutionem ei conferendam. Si verò dubium sit, an illa signa orta sint ex vi contritionis, & ex desiderio confessionis, an verò ex mœrore, tædio & angustia mortis, danda est ei absolutio sub conditione, ad vitandum periculum sacrilegii.

Si

V.

Si moribundus ſenſibus omnibus deſtitutus neque voce, neque nutu confesſionem petierit, neque ſigna ulla doloris de peccatis exhibuerit, non poteſt illi tam abſoluta, quam conditionata dari abſolutio ex ea ſolum ratione: quia moribundus in vita ſua bene & utChriſtianus vixit, juſtusque homo æſtimatus fuit. Ratio eſt: quia citatum Concilium Trident. Seſſ. 14. de Pænit. Can. 9. abſolutionem ſacramentalem decernit eſſe actum judicialem, ad quem requirit omnino ibidem confesſionem tanquam occaſionem rei: bona autem & Chriſtiana vita alicujus non eſt revera Confesſio ſacramentalis cum dolore conjuncta.

VI.

Moribundus ſenſibus omnibus deſtitutus, qui neque voce neque nutu confesſionem petit, neque ſignum aliquod doloris exhibuit; ſive antea fuerit bonus, ſive malus, dummodo nunc non fuerit in voluntate peccandi manere agnitus, poteſt conditionatè abſolvi ex hoc fundamento:

quia

quia existens sui compos potuit pro peccatis doluisse, & confessionem affectasse; & sic potest absolvi in hac forma: si es capax, hoc est; si doluisti, & confiteri voluisti, ego te absolvo. Ratio est: quia absolutio sacramentalis est pharmacum: ergo non ægrè fert applicari conditionatè subjecto; & per conditionatam applicationem non fit irreverentia sacramento, nec committitur sacrilegium & ex alia parte quantùm potest fieri saluti hominis subvenitur. Ipse Summus Pontifex Clemens VIII. hujus rei exemplum in praxi ostendit ut pro certo scribitur. Nam cum quidam ex alto fabricæ Divi Petri præceps ruisset, & illum cadentem vidisset, absolutionem ei impendit dicens: si es capax absolvo te à peccatis tuis.

VII.

Quilibet sacerdos etiam factus Hæreticus aut schismaticus aut excommunicatus non toleratus habet potestatem absolvendi in articulo mortis quoslibet pænitentes à quibuscunq; peccatis & censuris. De hoc non est dubium. Contulit enim

hanc

hanc poteſtatem Eccleſia cunctis ſacerdotibus propter ſalutem animarum.

VIII.

Probabile eſt in articulo mortis poſſe ſimplicem ſacerdotem abſolvere moribundum præſente quolibet confeſſario approbato vel Parocho aut Superiore. Ratio eſt: quia ſimplices ſacerdotes in articulo mortis quoad jurisdictionem, ſunt aliis approbatis Confeſſariis pares.

IX.

Sacerdos ſimplex, qui jam cæpit audire confesſionem moribundi, ſuperveniente poſtea Confeſſario approbato, non tenetur deſiſtere ab auditione Confesſionis ad hoc ut Confeſſarius approbatus audiat confesſionem moribundi; habet enim poteſtatem ſupra moribundum ſicut approbatus.

X.

Quidam vulneribus ſauciatus lethaliter, manet in periculo mortis, & duplici indiget medico, ſcilicet chirurgo & Confeſſario. Si chirurgus eum curet, infirmus confiteri non poteſt, & mors timetur, Si ſacer-

Sacerdos confessionem audiat, chirurgus infirmum curare non potest, & ille deficit. Quid tunc faciendum? Debet Sacerdos aliquod peccatum saltem unum secretò ab infirmo audire, eumque dolentem pro peccatis statim absolvere. Ubi vero chirurgus medicamenta adhibuerit, debet integram infirmi si superstes erit confessionem audire, & illum denuo absolvere. Si verò infirmus sit in maximo periculo mortis, & non possit sibi commemorare peccata, ut aliquod eorum confiteatur, sufficit ut ostendat se esse peccatorem pectus tundendo & absolutionem petendo; & tunc confessarius potest illum absolvere.

XI.

Articulus mortis, & periculum proximum mortis idem sunt: unde constituti tam in articulo mortis, quam in periculo mortis possunt absolvi à quocunque Sacerdote ab omnibus casibus & censuris. Tales etiam sunt damnati ad mortem, Prægnantes, quæ nunquam vel cum difficultate pepererunt.

Si

XII.

Si confeſſarius inveniat infirmum eſſe excommunicatum perſonaliter excommunicatione majori à Papa vel Epiſcopo, aut ejus Vicario, non debet illum ſtatim abſolvere, ſed debet illum monere: ut ſi tempus permittit & commodè fieri poteſt ad Superiorem à quo fuit excommunicatus recurrat, & ab eo abſolutionem petat. Quia debet ſervari authoritas, & honorari poteſtas Eccleſiæ; & ita fit de jure, ut qui cenſuram tulit, ab ea etiam abſolvat. Si verò infirmus ad Superiorem commodè recurrere non poteſt, eum ſacerdos abſolvat, ſed cum præmiſſa ſatisfactione, ſi fieri debeat, & commodè posſit; vel ſaltem cum debita cautione præſtandi efficacium ſatisfactionem v. gr. ſolutionem debitorem Eccleſiæ, vel parti, poſt morbum ſi convaluerit, vel etiam poſt mortem. Quæ Cautio fieri poteſt vel per fidejuſſores, vel per executores teſtamenti. Quod ſi mors immineat, & nihil horum fieri posſit, Sacerdos moribundum à Cenſura abſolvat. Debet tamen hoc onus imponere pœnitenti

tenti infirmo, ut cessante morbo præsentet se Superiori, à quo fuit excommunicatus petendo absolutionem. Aliâs (moneat infirmum) si se non præsentaverit in eandem Censuram incidet.

XIII.

Infirmus in articulo mortis absolutus à reservatis, quæ nullam habent annexam Censuram, non tenetur petere absolutionem eorum à Superiore, si convaluerit; jam enim est ab illis absolutus sine onere se præsentandi requisito à jure. Tempus autem absolvendi moribundum à reservatis, non incipit, à prima die infirmitatis, sed ex quo infirmus incipit periclitari lethaliter.

XIV.

Puer de quo dubitatur utrum habeat usum rationis, si in confessione ipse ultro fateatur peccatum veniale vel mortale, absolvendus est tanquam reus peccati; censetur enim habere usum rationis, si verò fateatur veniale vel mortale interrogatus de his peccatis à Confessario, interrogandus est: an hoc fecerit tanquam quid illi-

illicitum,& habuerit hoc pro peccato,dum hoc faceret ? si affirmaverit, absolvendus est absolutè. Si autem dixerit se nescivisse, utrum hoc fuerit peccatum, absolvendus est conditionatè.

XV.

Confessarius moribundum absolvere potest, non audita ejus integra confessione in his casibus. 1mo. Si infirmus uno vel altero peccato dicto, deficiat lethaliter, vel sit grave periculum ne deficiat. 2do. Si infirmus volens confiteri inveniatur multas confessiones fecisse invalidas, & gravitas morbi non patiatur dilationem absolutionis. 3tio. Si ipse Sacerdos correptus morbo videatur moriturus, antequam pœnitens absolvatur. 4to. Si tempore pestis, dum Sacerdos audiret confessionem unius moribundi alii periclitarentur peste infecti; tunc audito aliquo peccato unius, potest illum absolvere, & deinde similiter audire & absolvere alios. 5to. Si periculum sit ne Sacerdos audiens diu peste infectum ipse inficiatur. 6to. Si immineat conflictus, vel sit multitudo mori-

moribundorum v. gr. in naufragio, nêc possint omnes audiri. In quo casu, etiam omnes simul dicto uno peccato, quod minùs diffamat v. gr. mendacio; vel etiam si aliter fieri non possit dicendo, vel ostendendo se peccatores tunsione pectoris atque dolendo, possunt absolvi à Sacerdote dicente: Ego vos absolvo.

Notandum est autem eos, qui justa de causa confessionem materialiter integram non fecerunt, debere postea si convaluerint, vel periculum evaserint integrè iterum data opportunitate confiteri & absolvi.

XVI.

Confessarius moneat infirmum ab alio graviter injuriatum, ut omnino odium & rancorem atque signa rancoris contra inimicum deponat; non verò eum cogat, ut actionem legitimam & satisfactionem pro injuria sibi illata coram judice legitimo expetendam remittat si convaluerit, jure enim de injuria agere potest. In articulo autem mortis, monendus est æger, ut plenè inimico reconcilietur.

XVII.

Sacerdos vocatus ad moribundum abrumpat & dimittat omnia negotia, & ad infirmum convolet; relinquat Missam non solum inchoatam, sed etiam post consecrationem operiendo Eucharistiam in altari relictam. Asportet secum hostiolam consecratam ex pixide; quam si non habet, frangat particulam hostiæ magnæ in Missa consecratæ. Ferat quoque secum Oleum extremæ unctionis. Si diu morarandum esset in audienda Confessione infirmi, absolvat eum, communicet, Oleo Extremæ unctionis ungat, dimissis Psalmis Pænitentialibus post Missam dicendis, promittens se venturum post sacrum, confessionem ulterius auditurum & absoluturum. Post hæc revertatur & Missam continuet.

XVIII.

Homo sanus licet per interpretem confiteri non teneatur, tamen in articulo mortis, tenetur per eundem interpretem aliqua peccata minoris infamiæ, subticendo peccata majoris infamiæ confiteri;

qui-

quibus auditis Sacerdos poteſt illum abſolvere.

XIX.

Si infirmus præ gravitate morbi, ore confiteri commodè non posſit, & habeat ſufficienter ſcripta peccata ſufficit illi ea Confeſſario præſenti ad legendum porrigere, de illis ſigna doloris oſtendere; & tunc eum Sacerdos abſolvat. Dixi Confeſſario præſenti: nam ſi moribundus mittat peccata ſcripta Sacerdoti abſenti, rogans ut eum abſentem abſolvat, talis confesſio & abſolutio nullius ſunt valoris, ex decreto declarativo Clementis VIII. Summi Pontificis.

XX.

Sæculares aliqui, in articulo mortis, non habentes Sacerdotem, ſolent ex ſimplicitate confiteri peccata ſua aliis ſæcularibus (immo aliquando arboribus) tum ideo, quia hoc putant ſufficere; tum ideo ut hi quibus confitentur peccata ſua, poſtea Sacerdoti confiteantur peccata eorum. Quid de talibus confesſionibus ſentien-

dum? Dico nullo modo eas esse sacramentales & validas atque necessarias; non esse tamen prorsus inutiles: nam sic confitentes, ostendunt se paratos fuisse confiteri peccata sua sacerdoti, si eum habuissent; deinde sic confitendo confunduntur & erubescunt nimis de peccatis suis; quod Deus pro pœna magna acceptat, iram suam mitigat, atque ad misericordiam præstandam, & dolorem verum de peccatis tribuendum moribundo flectitur.

§. III.

THESES INSTRVCTORIÆ

Circa Sacramentum Eucharistiæ Moribundis administrandum.

I.

SUmere Sacro Sanctam Eucharistiam tanquam cibum Cœlestem, ad augendam gratiam & vitam spiritualem tenentur fideles in vita ex præcepto Divino, in illis verbis Christi Domini: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis*: in articulo autem mor-

mortis ad eandem Euchariſtiam ſumendam per modum Viatici, tenentur ex præcepto Eccleſiæ & quidem ſub peccato mortali. Hoc patet in concilio Nicæno Can. 13. ubi decernitur: *Cùm iis qui vitâ creduntur diſceſſuri, antiqua lex ſervetur, nempe ut ultimo, & neceſſario viatico non priventur.*

Ratio hujus præcepti Eccleſiæ & Communionis per modum viatici eſt: quia homo è vita diſceſſurus ingreditur viam periculoſisſimam, tentationibus dæmonum plenisſimam; indiget munimine, robore, auxiliis, ad ſuperandas tentationes, & ad perſeverentiam in gratia Dei: hæc autem omnia præſtat illi venerabilis Euchariſtia, cum ſit illi tanquam annona & Commeatus, atque ſcutum in illo periculoſisſimo itinere ad Cœlum; unde exiſtens in articulo vel proximo periculo mortis, tenetur Euchariſtiam ſumere ſub mortali.

II.

Sanctisſima Euchariſtia per modum viatici, debet dari tunc infirmo cum pru-

denter judicatur esse moribundus, vel morti proximus; & præcipuè cum verisimiliter putatur, quod eam moribundus amplius non poterit sumere.

III.

Forma dandi Viaticum est hæc: *Accipe Frater (vel Soror) Viaticum corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat te in vitam æternam. Amen.*

IV.

Incidente articulo mortis tempore paschali, satisfacit infirmus una communione utrique præcepto, scilicet communicandi in paschate, & in articulo mortis. Quia etiam incidente Festo in Dominica satisfacit fidelis præcepto, si tantum unicam audiat Missam. Si tamen post Susceptam Communionem Paschalem, tempore paschali incidat articulus mortis, tenetur ille iterum communicare in articulo mortis: quia hoc præceptum nondum est impletum, & debet impleri, quia est aliud.

V.

Ille qui ex devotione communicavit, & eodem die incidit in articulum mortis vel ejus proximum periculum, non tenetur eodem die communicare ex præcepto Ecclesiæ. Ratio est: quia moribundus accepit Viaticum in re, licet non in intentione; & hoc eo tempore, quo Ecclesia præcipit sumere. Nihilominus tamen potest eodem die quo ex devotione communicavit, sumere, Viaticum, etiam non jejunus; hoc enim eum Ecclesia mater facere non prohibet; licet sanis propter reverentiam sacramenti non soleat bis eodem die dispensare Eucharistiam.

VI.

Qui ex devotione, vel ex præcepto paschalis communionis, sumpsit Eucharistiam ante septem vel octo dies, imminente articulo mortis, tenetur de novo ex præcepto Ecclesiæ viaticum sumere. Ratio est quia communio in articulo mortis ex præcepto Ecclesiæ, alligata est tempori articuli mortis, sicut Communio paschalis, alligata est tempori paschali.

VII.

Qui in infirmitate gravi ſperans ſe moriturum, ſumpſit viaticum, non tenetur iterum ſumere adveniente ipſo articulo mortis; implevit enim jam Eccleſiæ præceptum. Poteſt tamen ſumere poſt ſex vel ſeptem dies, immo ſequenti die, ſi eſt morti proximus, etiamſi non ſit jejunus: Eccleſia enim mater non vult privare ſubſidio filium, ipſo illud affectante.

VIII.

Qui ſumpto viatico peccavit mortaliter, non tenetur iterum communicare, ſed ſolum confiteri & pænitere. Quia jam implevit præceptum ſumendi viaticum.

IX.

Sacerdos in periculo mortis v. gr. imminentis hoſtis, & non potens habere aliunde Euchariſtiam, poteſt non jejunus celebrare, & ſe communicare. Ille enim non eſt deterioris conditionis, quam laicus, cui conceditur, non jejuno ſumere viaticum in articulo vel periculo mortis.

Poteſt

X.

Poteſt dari caſus quo laicus in articulo mortis poſſit ſeipſum communicare, exemplo Mariæ Reginæ Scotiæ Martyris, quæ ſubitura martyrium, Euchariſtiam in cubiculo conſervatam, ante mortem ſumpſit. Vel ab alio laico Viaticum ſumere exemplo Serapionis Senis, qui (ut refert Euſebius Lib. 6.) infirmatus graviter miſit puerum ad Sacerdotem pro Euchariſtia, qui cum ipſe infirmus venire non poſſet, miſit per puerum particulam conſecratam, quamSerapion è manibus pueri juxta mandatum pueri ſumpſit. Et hoc patet ex Gloſſa, quæ explicans illud Caput: Pervenit: diſt. 2. de Conſecrat. dicit: Presbyter per ſemetipſum, infirmum communicet, vel per diaconum, ſi neceſſe eſt, vel per laicum Catholicum.

Unde tempore peſtis Sacerdos poteſt Euchariſtiam ponere in loco mundo v. gr. in linteolo, vel pane, & relinquere eam ab hominibus infectis ſumendam. Timens quoque ingredi domum peſte infectam, poteſt mittere in linteolo vel vaſculo mun-

do Euchariſtiam infirmo domi decumbenti, ut eam vel perſeipſum ſumat, vel alter ei inos imponat. Ratio eſt: quia laicus in articulo mortis ſeipſum communicans, non aliud facit niſi manducat carnem Chriſti, à Sacerdote ſibi porrectam. Dum autem laicus aliis Euchariſtiam porrigit, non diſpenſat eam tanquam Sacerdos, ſed ſolum ſe gerit tanquam inſtrumentum Sacerdotis in caſu maximæ necesſitatis: poteſt autem Sacerdos inſtrumento materiali porrigere Euchariſtiam cum aliter non posſit.

XI.

Si infirmus non posſit deglutire aliquid de cibo ſine hauſtu; vel timeatur infectio peſtis, poteſt ei dari communio impoſita particula hoſtiæ cum vino, vel alio liquore in cochleari.

XII.

Sacerdos celebrans, & non habens parvam hoſtiolam laicis dari ſolitam, poteſt parvam partem hoſtiæ ſuæ conſecratæ in Miſſa, dare infirmo.

XIII.

Infidelis in articulo mortis naturalis vel violentæ, conversus ad fidem debet instrui prius, eo modo, quo in tali casu fieri potest; & post Baptismum sacra Eucharistia ei præbeatur.

XIV.

Deliranti, lucida intervalla non habenti, non est danda ulla modo Sacra Communio, licet ante dementiam eam petierit, propter periculum magnæ irreverentiæ Sacramenti; nam delirans potest Eucharistiam non deglutire, immo expuere.

XV.

Damnato ad mortem, si ejus supplicium differri non potest, danda est Sacra Communio, etiam non jejuno; licet etiam post horam ducendus esset ad mortem. Violenta enim mors, non tollit ab eo obligationem sumendi Viaticum; nec privat eum subsidio spirituali pro itinere futuro; nec fit irreverentia sacramento, propter

non

non jejunum ſtomachum, annuente Eccleſia & Chriſto.

XVI.

In articulo mortis, dari poteſt Sacra Communio à Sacerdote quocunque, à quo in eodem articulo poteſt dari abſolutio à peccatis; niſi adſit proprius Parochus vel ejus Vicarius paratus moribundum communicare. Religioſi autem ſine licentia Parochi, poſſunt ſuos famulos moribundos communicare: Cenſentur enim eſſe famuli de corpore Conventus privilegiati.

XVII.

Infirmus vomitus patiens, ſi nihil cibi vel potus retinere poteſt, non eſt ei danda communio. Si vero modicum cibi retineat, fiat experientia cum hoſtia non conſecrata, quam ſi retineat, poterit ei dari etiam conſecrata. Quod ſi contingat, ut ſumptam Euchariſtiam evomat, accipiatur decenter Euchariſtia, & in ſacro reponatur loco; & cum ſacræ ſpecies corruptæ fuerint, in ſacrarium projiciantur.

§. IV.

THESES INSTRUCTORIÆ

Circa Sacramentum Extremæ Unctionis moribundis administrandum.

I.

Oleum Extremæ Unctionis accipiendum est quotannis novum in Cœna Domini consecratum: Vetus autem comburendum est in Ecclesia, vel in piscinam sacram reponendum; si tamen novum pro unctione haberi non possit, potest adhiberi antiquum. Et si non sufficiat consecratum, potest affundi non consecratum in minori quantitate, quam fuerit consecratum.

II.

Sacramentum Extremæ Unctionis non est conferendum infirmo, communi & leviori morbo laboranti, sed graviter infirmanti, & in vita periclitanti. Non est tamen differenda Extrema Unctio, usque dum infirmus jam sensu & cognitione careat; vel constet eum naturaliter non

posse vivere: id enim est contra reverentiam, & utilitatem sacramenti, quod confert sanitatem etiam corporis tempestivè acceptum.

III.

Dum timetur ne infirmus moriatur ante finitam omnium sensuum unctionem, potest sacerdos velociter, sine crucis forma ungere unum oculum, unam aurem, unam manum, pedem, nares dicendo hanc formam: Per istas sanctas unctiones &c. indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, tactum, gustum, gressum, olfactum deliquisti. Immo in maxima necessitate, vel periculo pestis, sufficit ungere aliquod organum, vel in fronte caput, ubi omnes sensus maximè vigent dicendo: Per istam sanctam unctionem &c. indulgeat tibi Deus quidquid per omnes sensus deliquisti.

IV.

Sicut suscipere Sacramentum Extremæ Unctionis, non tenetur fidelis sub peccato

cato mortali, ſecluſo contemptu & ſcandalo: ita Parochus non tenetur illud ſub peccato mortali miniſtrare; niſi infirmus graviter indigere videatur v. gr. moribundus ſenſibus deſtitutus, qui alia ſacramenta non potuit ſuſcipere; tunc enim debet inungi, ne omnino ſine ſacramentis decedat.

V.

Etſi per ſe loquendo Confesſio non neceſſariò præmittatur Extremæ Unctioni, cum per Contritionem ſaltem exiſtimatam infirmus ſe diſponere posſit ad Extremam Unctionem, cum fructu ſuſcipiendam, & poſtea posſit confiteri & communicare; tamen ordinariè præmittenda ſunt ſacramenta Confesſionis & Communionis. Quia hæc eſt conſuetudo Ecclesiæ; & quia prius ſumenda ſunt ſacramanta neceſſaria, & deinde utilia.

VI.

Pueris habentibus ſufficientem uſum rationis ad peccandum, tametſi Eucha-
riſtiam

ristiam non reciperint, non est neganda Extrema Unctio. Et Parochus, etiamsi ex Confessione cognoscat puerum, nunquam actualiter peccasse, debet tamen illum inungere dicendo sub conditione: si quid per visum, auditum &c. deliquisti. Nam illi hæc Unctio proderit ad robur acquirendum contra tentationes & morbi molestias, atque ad gratiam augendam.

VII.

Perpetuo amentes, non sunt capaces Extremæ Unctionis; secus illi qui inciderunt in amentiam & phrenesim: hi enim si ante dementiam signa doloris de peccatis ostenderint, vel confessi & communicati fuerint possunt ungi ligati, vel fortiter tenti.

VIII.

Muti, cæci, surdi à nativitate sunt capaces Extremæ Unctionis; & ideo debent, ungi organa sensuum quibus carent. Nam etsi exterius per illa non peccaverint, potuerunt tamen peccare per interio-

teriores potentias quibus organa correspondent.

IX.

Minister sacramenti Extremæ Unctionis est solus Parochus, sine cujus licentia alter illud licitè administrare non potest. Et Religiosus incurrit Excommunicationem Papalem administrans illud Parochianis: non autem sui Conventus famulis. In necessitate verò, ut si Parochus absit, vel concedere nolit, nec superior pro licentia petenda possit adiri, licitè administrat quivis non excommunicatus aut suspensus etiam Regularis. Censetur enim tunc Papa dare licentiam.

X.

In necessitate possunt plures Sacerdotes ministrare Extremam Unctionem, ita ut ut unus ungat oculos, alter aures &c. proferente utroque formam debitam. Non tamen potest unus ungere, alter formam proferre; neque unus unum oculum, & alter alterum. Non perficiente vero Sacerdote Extremam

Un-

Unctionem ob aliquam causam, eum retrahentem, potest alius Sacerdos Unctionem continuare, in sensibus non unctis: Vel etiam ungere omnes sensus, etiam ab alio Sacerdote jam unctos.

XI.

Sacerdos administrando Extremam Unctionem debet 1mo habere ministrum qui eum juvet. 2do. Debet esse indutus superpelliceo, vel saltem stola. 3tio. Debet dicere Psalmos Pœnitentiales, & orationes adhiberi solitas. 4to. Debet oleum sacrum ad ægrum deferre, & illud administrare cum lumine. 5to. Debet ungere sensum corporis per modum crucis, si autem in necessitate ista non possunt haberi, nullum est peccatum, ministrare Extremam Unctionem sine illis.

XII.

Sacerdos moribundus non potest sibimetipsi Extremam Unctionem administrare. Quia S. Jacobus distinctas personas

ſonas asſignat, ſcilicet infirmum ungendum, & Presbyterum uncturum.

XIII.

Parochus habens Parochianum infirmum, & timens, ne de nocte ad eum moribundum ad ungendum vocetur, non peccat etiam venialiter, ſi pro nocte oleum ſacrum domi in loco decenti reverentialiter habuerit; ſecus ſi ſemper domi retinuerit.

XIV.

In eadem infirmitate infirmus poteſt iterum, atque iterum inungi, quoties periculum mortis evaſerit, & in novum inciderit eadem infirmitate manente. His poſitis & perlectis Patrone mi Spiritualis.

QVÆRES.

QVid ſit agendum cum moribundo Beneficiato Eccleſiaſtico qui obtinet plura Beneficia Eccleſiaſtica? An ſcilicet relinquendus ſit in ſua fide reputans: habere plura Beneficia non eſſe pecca-

tum,

tum, consequenter sit absolvendus? an vero facienda sit sibi conscientia, suadendumque, ut relicto uno Beneficio resignet ante mortem cætera; & si noluerit, non sit absolvendus?

Respondeo 1mo. Plura Beneficia habere etiam sine dispensatione posse in his sequentibus casibus. 1mo si plura Beneficia sint tenuia, ut nullum singillatim sufficiat ad sustentationem, & sint simplicia, nec requirant residentiam. Talia enim Beneficia faciunt unum sufficiens ad sustentationem. 2do. Si Canoniæ est annexa Parochia tanquam accessoria; tunc enim utrumque per modum unius possidetur, ita tamen ut Canonicus teneatur Vicarium perpetuum in Parochia conservare. 3tio. Quando duo Benefica sunt legitimè unita. 4to. Quando alius idoneus & dignus non reperitur. 5to. Quando unum Beneficium habetur in titulum, alterum verò in Commendam non perpetuum, sed ad tem-

tempus scilicet ad aliquot menses, donec de idoneo provideatur. In his casibus dico moribundum Beneficiatum à Culpa liberum esse, proinde absolvendum. Ratio est. Quia in his casibus nihil sit contra jus Divinum, Ecclesiasticum, & Naturale.

Respondeo 2do. Qui obtinet plura Beneficia incompatibilia cum dispensatione Summi Pontificis obtenta propter justam causam, licitè hæc Beneficia possidet, & sic moribundus est absolvendus. Ratio est. Quia tunc est valida dispensatio. Est autem justa causa ad obtinendam validam dispensationem triplex. 1ma. Necesfitas Ecclesiæ. 2da. Pia utilitas ejusdem Ecclesiæ. 3tia. Evidens Prærogativa meritorum Beneficiandi cedens in majus commodum & utilitatem Ecclesiæ.

Respondeo 3tio. Qui plura Beneficia incompatibilia per dispensationem obtentam

tentam sine justa & legitima causa possidet, non est tutus in anima; ideo uno beneficio relicto debet resignare alia; & si noluerit non est absolvendus. Ratio est. Quia tunc non est valida dispensatio, & sic illicitè mortaliter obtinentur plura beneficia.

Respondeo 4to. Beneficia incompatibilia sunt hæc: 1mo. Beneficia curata, quæ scilicet habent annexam curam animarum, tam in foro interno scilicet Parochiæ, quam externo ut Episcopatus, Patriarchatus. 2do. Omnia beneficia quæ dicuntur Dignitates, Personatus officia, & requirunt distinctionem personarum vel residentiam. 3tio. Beneficia pinguia quorum singillatim quodlibet sufficit ad commodam & honestam sustentationem. 4to. Beneficia uniformia, seu unius rationis v. gr. duo Canonicatus sub eodem tecto. Talia beneficia qui possidet sine valida Summi Pontificis dispensatione, injustè & illicitè

ea posſidet, eſtque in ſtatu malo; proinde uno relicto debet cætera reſignare; & ſi noluerit, non eſt abſolvendus. Et hoc ideo:

1mo. Quia habens plura ejusmodi Beneficia diminuit cultum & Honorem Divinum Deo debitum propter beneficium quod posſidet. Nam quodlibet beneficium datur propter officium cultus Divini ſingillatim Deo exhibendi à beneficiato in loco ad quem habetur beneficium, ſcilicet in Eccleſia vel Cathedrali, vel Collegiata, vel Parochiali, ita ut tot debeant eſſe officia cultus Dei, & tot cultores Divini quot ſunt beneficia. Quia ergo unus habens plura beneficia non poteſt ſatisfacere uno officio ſeu cultu Divino pro pluribus Beneficiis, posſidens plura incompatibilia diminuit cultum Divinum debitum Deo propter Beneficium.

2do. Quia qui posſidet ejusmodi plura beneficia facit injuriam 1mo Eccleſiæ quæ deſtituitur majori numero Operariorum & Miniſtrorum ſpiritualium. 2do Fundatoribus qui fruſtrantur ſua pia intentione; ipſi enim fundârunt pro tot perſonis diſtinctis præbendas & reditus, ut per eas perſonas fiat cultus Divinus. 3tio. Clericis pauperibus Beneficiandis, qui eſſent utiliores Eccleſiæ, utpote boni, docti, exemplares, pro Deo laborioſi; hi enim privantur præmio quo ſunt digni ab Eccleſia. Nam pluraliſtæ beneficiorum eripiunt eis, victum, amictum, ſuſtentationem honeſtam & honorem debitum.

3tio. Quia qui plura ejusmodi posſidet beneficia, facit gravisſimè contra juſtitiam. Nam ut ait S. Thomas Quodlib. 9. num. 10. Sotus lib. 3. quæſt. 6. Artic. 3. Azorius lib. 6. cap. 11. quæſt. 5. Beneficia Eccleſiaſtica ſunt ſtipendia meritorum ſpiritualium, data Clericis pro offi-

officio & labore, quem ſuſtinent circa cultum Divinum vel ſalutem animarum. Igitur ut quis talia ſtipendia juſtè accipiat & poſſideat, debet illa pio & ſacro labore promereri: ſed habens plura prædicta Beneficia, illa diſtinctis laboribus non promeretur cùm ad id non ſufficiat: Ergo accipit & habet mercedem ſine labore; Ergo facit contra juſtitiam.

4to. Quia obtinere plura prædicta Beneficia eſt contra rectam rationem; & magnam involuit diſordinationem ut ait Concilium Tridentinum Seſſ. 24. Quid enim magis poteſt eſſe contra rectam rationem, & ordinem in Eccleſia ſervandum, quam ut ex his qui ſunt adſcripti Militiæ ſpirituali & labori Eccleſiaſtico, aliqui ſoli: ſtipendia accipiant, & alii vacuas portent manus? Hi qui ſunt benè Saturi, adhuc magis ſaturentur; repleantur, ſaginentur: & alii

O esu-

esuriant, & famem patiantur? Hi qui sunt divites adhuc magis ac magis ditentur, alii vero paupertate premantur? Hi qui sunt pingues, adhuc magis ac magis pinguescant; alii vero macilenti, tenues & graciles existant? Propter istas causas periculosissimum est, ut vix non dicam certissima materia ignis æterni tenere plura beneficia incompatibilia. Et ne falsò prophetare, aut gratis asserere videar, voco & sisto mortuos damnatos pluralistas beneficiatos in testimonium.

Damnati pluralistæ beneficiati. Scribunt gravissimi Autores scilicet: Thomas Cantipratanus Cameracensis Episcopus Libr. I. Apum cap. 19. part. 7. Dionysius Carthusianus Libr. de pluralitate beneficiorum cap. 7. Beyerlink in Theatro magno sub liter. B. Verbo Beneficium. Antonius Dauroultius in Floribus exemplorum cap. 3. titul. l. 10. Exempl. 2.

quis-

Quisquis hæc lecturus est (scribit Cantipratanus) volo ut sciat me fuisse Parisiis Anno Domini 1238. Ubi Venerabilis Guillelmus Episcopus Parisiensis, qui in Theologia maximus erat Doctor, convocavit omnes Magistros in capitulo Fratrum Prædicatorum ad proponendam & discutiendam quæstionem de pluralitate beneficiorum. Post solertem verò ac prolixam disputationem, conclusum est duo beneficia dummodo alterum quindecim libras Parisienses valeret, teneri cum salute animæ non posse. Id ita determinavit Episcopus. Eandem quoque sententiam in scholis propriis secuti sunt successivè Frater Hugo Ordinis Prædicatorum, postmodum Romanæ Curiæ Cardinalis. Frater Guerricus, Frater Gaufridus ejusdem Ordinis, & Frater Joannes de Rupella Ordinis Fratrum minorum, aliique plures Theologiæ Magistri. Fuerat eadem quæstio diu ac multò celebriùs

ante tres annos agitata : atque tum omnes Doctores in eandem ibant sententiam duobus exceptis, quorum unus fuit Philippus Cancellarius Parisiensis, & alter Arnoldus postea Episcopus Ambianensis. Quid autem de ipso Philippo contigerit ? audiamus. Agonizantem Cancellarium Dominus Guillielmus Episcopus Parisiensis paterna sollicitudine visitavit, rogans eum, ut singulari opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia beneficia sua excepto uno in manus Ecclesiæ resignaret. Et hoc conditione media, ut si convalesceret : ei supplere vellet de suo proprio quod dimisit. Renuit ille, experiri se velle dicens : Utrum esset damnabile beneficia plura tenere ? Mortuus est ergo sic. Post paucos autem dies cum prædictus Parisiensis Episcopus Matutinas horas orare vellet, vidit inter se & lumen, quasi umbram quandam hominis, tetram nimis. Elevata ergo

manu

manu consignat se cruce, & si ex parte Dei sit, præcipit ut loquatur. Et respondit apparens: Alienus à Deo sum, & tamen miserabilis factura ejus. Et Præsul: Tu quis es? Et ille: Ego sum: (inquit) Cancellarius ille miserrimus. Rursus Episcopus elato altius gemitu, Et quomodo (inquit) tibi est sic dolenti? Male (ait) immo & pessimè, Nam sum damnatus morte æterna. Et Episcopus: Heu (ait) charissime, & quæ causa est tuæ damnationis? Et ille: Tres sunt (inquit) causæ, quare morte perpetua sum damnatus. Una est. Quia crescentes fructus annuos tenaciter conservavi, nec pauperibus erogavi. Secunda quia plura beneficia tenui, & contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum quasi licitè tenendorum, sententiam propriam defensavi, & in hoc mortaliter peccavi. Tertia est, & illa gravissima omnium; quia abominabili carnis vitio cum scandalo

multorum multo tempore laboravi. Tunc ad Episcopum mox subjunxit: Estne mundus finitus? Et Episcopus: Miror (inquit) te quondam literatissimum virum hoc quærere, cum me adhuc vivum cernas, & omnes nos adhuc viventes mori necesse sit antequam mundus instante judicio finiatur. Et ille: Ne mireris (inquit) quia nec scientia, nec opus, nec ratio apud inferos inveniuntnr. Et hæc dicens umbra ab oculis mirantis Episcopi evanuit. Ipse autem Episcopus hæc in prædicatione sua Clericis omnibus enarravit.

Idem ibidem Cantipratanus sic scribit: Simili modo cum quidam Clericus maximæ literaturæ agonizans in morte pro me mandâsset, ut consilium quæreret, quasi in proximo moriturus. Reduxi ei ad memoriam disputationem illam solemnem, & determinationem de pluralitate beneficiorum Parisiis fa-

ctam,

ctam, cui ille interfuerat Doctor magnus. Conſuluique illi cum magna inſtantia lacrymarum ut unam præbendarum dimitteret, quoniam duas contra animam ſuam tenuerat : quarum una ad omnem vitæ copiam omni Clerico ſufficere posſet. Tunc ille facie averſa disſimulans, hoc tantùm reſpondit : Orate Dominum Deum ut inſpiret. Nec diu poſtea cum recesſiſſem, & tenuisſimo ſpiritu vix hærente, hoc idem quod conſulueram ei, quidam conſobrinus ejus cum maximis lacrymis inclamaret, cum voce non poſſet, manu innuens exſpiravit. Poſt cujus obitum cum quidam ex noſtris ſtupeſcens nimium cogitaret, cur tantus homo, & tantus Clericus, ſi mortale peccatum eſſet, plura beneficia retineret, in tali ſtatu mortuus extitiſſet, mox ei deſunctus apparens dixit : Hæc ſola præbendarum cauſa eſt, pro qua infelix ego in perpetuum damnatus ſum. Propterea Guiardus Epiſcopus Cameracenſis

cenſis

censis considerans quam sit periculosum tenere plura beneficia: Nollem (aiebat) pro omni auro Arabiæ per unam tantùm noctem beneficia tenere, etiamsi certus essem quod postridiæ unum ex illis personæ dignæ conferendum esset; & hoc propter incertitudinem vitæ & periculum salutis.

Ad Laudem Omnipotentis Dei, totiusq́ Curiæ triumphantis Honorem, atq́ Animarum Salutem.

FINIS.